DE

AUCTORITATE ROMANI PONTIFICIS

DISSERTATIO BIPARTITA.

Prima Parte, infallibilitatem Pontifici perperam tribui ostenditur.

Secunda Parte, ex opere posthumo viri celeberrimi ANTONII ARNALDI, Concilii generalis in Pontificem potestas asseritur.

OCCASIONE

Epistolarum Pastoralium & Libellorum aliquot nuper in Belgio editorum.



M. DCCXIX.



EPISTOLA
AD
AMICUM
Præfationis loco.

QUOD multorum, & rudiorum præsertim, nuperis dissidiis exortis conturbatos animos scribis, Theodore suavissime, nec novum nec mirum mihi visum est. Quid enim aliter fieri potest, ubi hinc debita Apostolorum Successoribus reverentia, illinc justitia & veritas animos in diversa distrahunt? Et, quod omnium tristissimum, ubi altera saltem pars feralem schismatis tubam toties inflat: quasi dulce illis sit ab eis qui in Christo fratres hactenus fuerunt, segregari. Post funestas illas Pontificis *Literas*, nil nisi schisma spirant & inclamant *Epistolæ Pastorales* quædam, & miserabiles aliquot libelli nuper in his regionibus sparsi. Atque hanc tam lugubrem Tragœdiam exordiuntur vix alio nixi fundamento quàm infal-

infallibilitate Pontificis, hoc est opinione incerta, & de qua hactenus pars utraque consenserat posse salva unitate catholica utrumvis credi. Nam quod aiunt de universæ Ecclesiæ consensu circa doctrinas à Pontifice damnatas, præterquam quod manifestissimæ vanitatis sit, sic illud dicunt, ut satis appareat non eâ re maximè, sed Pontificia infallibilitate se niti.

Eâ de causa non potui tibi illud quod postulas denegare, ut aliquid nempè conscriberem quo planum fieret iis qui sincero animo veritatem exquirunt, quàm fragile sit omne Moliniani hujus ædificii fundamentum, ipsa nimirum opinio de Pontifice falli nescio. Quamquam enim sentiebam majoribus viribus opus esse ad rem illam pro sua gravitate pertractandam, cùm tamen isti operi neminem hactenus manum admovere audirem, illud saltem existimabam post clarorum virorum egregios labores à me præstari posse, ut specimen aliquod perpetuæ Traditionis super hac controversia exhiberem, quod & sufficeret rei veritati demonstrandæ, simulque melioribus ingeniis amplam in hac messe segetem relinqueret.

At cùm simul audirem nonnullis mirum videri quòd ii qui Constitutioni *Unigenitus*

genitus refragantur, à Pontifice ad Generale Concilium provocassent, idque Romanarum opinionum patroni schismaticum esse inclamarent, simul in animum duxi adjungere aliquid quo ostenderetur, non modò Concilio Generali potestatem esse in Pontificem, sed & doctrinam hanc à legitimis Generalibus Conciliis inter fidei capita relatam esse. Id meditanti, mox in mentem venit opus posthumum Gallicè scriptum à viro maximo Antonio Arnaldo adversus Emmanuelis Schelstratani opusculum de Actis Concilii Constantiensis: nam præterquam quod non minimum rei pondus addat celeberrimum tanti viri nomen, qui tot laudibus ob eximiam pietatem, acerrimum ingenium, doctrinam sanam, perpetuosque ad extremum vitæ spiritum susceptos labores pro asserenda veritate adversùs Ecclesiæ externos & domesticos hostes, condecoratus est à Summis Pontificibus, Cardinalibus pluribus, Episcopis plurimis, Scriptoribus denique omnis generis, frustra ringente invidia furiosorum aliquot Calvinistarum, quibus egregiè in hac parte succinunt Jesuitæ eorumque imperiti partiarii: præter istud, inquam, magni nominis pondus, accedebat & illud, tanto robore argumentorum in eo opere veritatem undique munitam esse,

Eclaircissement sur l'autorité des Conciles Généraux & des Papes 1711.

ut non appareat quid vel per ſpeciem ei reſponderi poſſit. Illud unicè erat moleſtum, quòd non parvæ molis liber eſſet, ſoleantque homines ad majores libros legendos non libenter accedere : quamobrem ſatiùs viſum eſt interpretari ſolum ultimum caput, ubi Bellarmini argumenta (quæ adoptare ſolent adverſarii) penitùs evertuntur ; Decretaque Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis, & quoad ſenſum & quoad eorum auctoritatem invictis argumentis aſſeruntur. Hoc itaque ultimo capite conſtat ſecunda Pars hujus Diſſertationis ; niſi quod duobus aut tribus locis pauca quædam inſerenda fuerunt, ubi nempè ad ea quæ aliis locis à ſe dicta fuerant, lectorem remittebat Arnaldus. De ſtylo nihil dicam, niſi quod de ſumma dictionis puritate non magnoperè ſolicitus, id tamen conatus ſum ne planè barbarus ſermo eſſet.

In Approbat. libelli cui titulus: *Refutation du Memoire publié en faveur de l'Appel des IV. Evêques.*

Primam verò Partem per omnia Secula ordine ſuo duximus ; eam ob rem maximè quod Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Mechlinienſis (poſtque eum inepti quidam ſcriptitatores) à Jeſuitis ſuis peſſimè edoctus, affirmare non dubitaſſet, *Opinionem de Conſtitutionibus Pontificiis errori obnoxiis in rebus fidei & morum, inde cognitam fuiſſe univerſæ Eccleſiæ quatuordecim priorum ſeculorum.* Illud tamen mi-

ror

ror quod ſcribis, mi Théodore, hanc affirmationem tam robuſtam viri in magna Eccleſiaſtica dignitate conſtituti, nonnullis impoſuiſſe. Sanè ſi iſtud à Boſſueto quodam, aliove Epiſcopo Sacræ antiquitatis perito ſic affirmaretur, fateor magni ponderis auctoritatem futuram: at cùm ejuſmodi velut è tripode oracula eduntur ab iis quos fama publica nullius rei minus quàm Eccleſiaſticæ Traditionis peritos perhibet; tum verò, fateor, tantum abeſt ut aliquo loco id numerare poſſim, ut potiùs in mentem veniat non malè facturos ejuſmodi Præſules ſi talibus Documentis aut Epiſtolis, ſubnecterent hanc clauſulam non ineleganter pridem in re ſimili prolatam:

Faiſons très-expreſſes défenſes
De rire de nos ordonnances.

Et ſanè quid iſtis quatuordecim ſeculis de ea re ſenſerint catholici, vel ex hoc noſtro quamlibet exiguo ſpecimine perſpici poterit.

Cùm vero huic opuſculo conſcribendo occupatus eſſem, prodierunt libelli aliquot eorum qui Conſtitutionis & Pontificiæ infallibilitatis cauſam ſuſcepèrunt: hos, quod non multum ad inſtitutum noſtrum pertinerent non ab omni parte

oppugnare visum est (quod ab aliis fieri nunciabatur); sed quæ rem hanc propiùs attingerent, cursim refutare.

S. Augustini sensus &c. At, quod præter propositum accidit, alter P. Wavrii libellus nuperrimè editus, secunda Parte hujus Dissertationis non refellitur tantùm, sed in pulverem redigitur circa ea quæ de Concilio Basileensi non minus imperitè quàm intrepidè affirmat. Quamquam enim iis quæ P. Wavrius profert, non ex adverso illic respondeatur, sic tamen illius Concilii auctoritas asseritur, ut spes sit, si eam legat Wavrius, fore ut verecundiùs saltem deinceps de tam venerando cœtu loquatur. Neque audeat amplius *Synagogam Satanæ* vocitare Concilium, cujus vocem catholicos omnes audire deceret: ac tandem perspiciat an levis culpa sit tam contumeliosas voces in tantos viros conjecisse.

Nec se existimet securum quod post Pium II & Julianum Cardinalem sic locutus sit. Si enim non ex affectu sed recta ratione rem metiri voluisset, facile fuerat videre quàm exigui ponderis esse debeat ista Pii revocatio, quid enim mirum si fortunam & aulam sectatus Æneas Sylvius, paulatim cum honoribus mores sententiamque mutaverit? Certè argumentum nullum quod eum à sententia

di-

dimoverit, profert: nec ea quæ priùs ſcripſit hiſtoricè, revocat: profiteturque ſe tunc nullo odio, nulla gratia abreptum fuiſſe, ſed ſoli veritati ſtuduiſſe: atqui hoc ſolo plus juvat Bulla illa quàm adverſetur: nec enim Æneæ Sylvii, ut Theologi, auctoritas pondus addebat Concilio Baſileenſi, ſed res geſtæ quas ille narrat: harum porrò veritatem ipſe ea Bulla rurſum confirmàt. De Juliano Cardinale ſi ejus geſta cognoſcere ſtuduiſſet Wavrius, comperiſſet virum fuiſſe cujus nec auctoritas nec *converſio* oſtentanda eſſet, ſed exitus lugendus. Is enim eſt ille Julianus Cæſarinus Sancti Angeli Cardinalis, qui ab Eugenio IV miſſus ad Ladiſlaum Hungariæ Regem, ei perſuaſit ut fœdus cum Turcis initum rumperet: credidit miſer Princeps, & quòd Turcarum copiæ in Aſia diſtinerentur, exiſtimavit facilem fore victoriam: commiſſum eſt ad Varnam ſeu Warnam 11. Nov. 1444; jamque Turcæ cedere inceperant, cùm Amurathe II Turcarum Imperatore, Chriſtum ipſum adverſùs Chriſtianorum perfidiam palam invocante, ſubita rerum commutatio facta eſt, Chriſtiani ad internecionem deleti ſunt, Rex ipſe & totius mali auctor Julianus occubuerunt, patuitque deinceps Turcarum armis Pannonia, ut in

hunc usque diem tantæ cladis vulnus sentiat Christianus orbis. Porro Cardinali Juliano illius perfidiæ consilium deberi adeò apud Historiarum Scriptores certum est, ut nec ipse Petavius, quamquam Romanæ Aulæ laudibus plus æquo studens, rem dissimulare potuerit: *Ad pacem*, inquit, *cum Uladislao Rege Hungariæ aquissimis conditionibus ineundam compulit* (Amurathem). *Sed eam, Turcis Asiatico bello distentis, temerè disturbarunt Hungari, haud levi Christianæ rei damno. Siquidem eorum exercitus ab Turcis ad Warnam profligatus est; quo in prælio cum Uladislaus ipse Rex, tum Julianus Cardinalis, repetendi contra fœdus belli auctor, occubuit.* Et hujus tamen hominis dicta ut totidem oracula ad fastidium repetit P. Wavrius!

Ration. Temp. part. 1. lib. 9. ad ann. 1438. ad 1500.

Verùm ut ad Dissertationem nostram redeamus; satis ut arbitror perspicis, mi Theodore, duobus his capitibus de Pontificis & Concilii auctoritate semel statutis, hinc spontè consequi nihil æquius, nihil pacificum magis, nihil in ipsum Pontificem reverentiùs fieri potuisse ab iis qui Constitutionem *Unigenitus* suscipere reformidant, quàm ut à Pontificis judicio ad Generale Concilium provocarent. Quid enim aliud facerent tot Episcopi, Parochi, Academiæ, Canonici, Monachi

chi &c. quibus apparet Constitutionem multis capitibus Scripturæ & Traditioni adversari? An ad ipsum Pontificem recurrerent? At enim integro triennio aut quadriennio nihil aliud egerunt, quàm ut demissis precibus, missis ablegatis, scriptis literis, expositis suis argumentis, aliquid saltem solatii, aliquid lucis, aliquid sanæ doctrinæ in rebus controversis, à Pontifice impetrarent. Nec aliud ab initio ad hunc diem responsum obtinuerunt præter verba durissima, comminationes perpetuas, ac denique denunciationem segregationis Ecclesiasticæ. Quid aliud, inquam, post hæc omnia facerent reluctantes, quàm ut omne hoc negotium ad supremum in terris tribunal referrent?

Hæc sanè agendi ratio & fidei & rectæ rationi & Ecclesiasticæ disciplinæ tam consona est, ut nemini ante hæc tempora in mentem venisse arbitrer ridiculum illud systema, cui innititur totus libellus à Mechliniensi Præsule probatus, quodque nunc in Belgio Epistolis Pastoralibus & ineptis aliquot scriptiunculis ostentatur. Quamobrem illud tanquam sponte sua collapsurum ne attigi quidem in Dissertatione. Hìc tamen, ne infirmitatis conscientiæ adscribant adversarii

Réfutat. du Mémoire &c.

hoc silentium, brevissimè id refellere juvat.

Aiunt itaque: Etiamsi Pontifex errare posset, non fuisse tamen provocandum ad Concilium generale, utpotè non existens nec facilè exstiturum, sed ad Ecclesiam universalem quæ non minùs extra Concilium quàm in Concilio infallibilis sit. Addunt porrò jam ab universa Ecclesia Constitutionem esse susceptam; causam sic finitam; adeoque provocationi ad Concilium locum hic nullum esse.

Sed isti qui audent provocationem ad Concilium tamquam rem novam omnibus maledictis onerare, edant, obsecro, exemplum aliquod ubi ad Ecclesiam dispersam juridica provocatio instituta sit. An non ut Regni Ordines non dispersi sed congregati auctoritatem exercent, ita & Ecclesiæ Pastores congregati in generali Concilio supremum suum tribunal habent? An non id clamat ipsa Apostolorum praxis qui *convenerunt videre de verbo hoc?* (*Act. XV.*) An non omnium seculorum disciplina, secundùm quam ob caussas hac hodierna multò leviores, quandoque generalia Concilia coacta sunt?

Verùm, inquiunt, Ecclesia non magis extra Concilium quàm in Concilio errare potest. Atque hic magnum aliquid sibi protulisse videntur, laborantque ut illius

illius dicti veritatem demonstrent. Sed lubet illos interrogare, an id ignorarint Apostoli & Sancti Patres? Et si non ignorarint, an propterea minus crediderint generalia Concilia sæpè non utilia tantùm sed & *necessaria* esse, quod & Bellarminus disertè fatetur? Desinant ergo nugacissimum argumentum Appellantibus objicere, aut simul illud universæ Ecclesiæ ipsisque Apostolis objiciant. Sed illud potius considerent, etiamsi promissa Christi Ecclesiam omni tempore ita tutam præstent, ut numquam in ea unanimi consensu pro Catholica veritate error doceatur; posse tamen oriri *dies nubis & caliginis*, quibus error multùm pervagetur, vi, fraude, æquivocis vocibus obtrudatur, jamque prava doctrina *non portiunculam tantùm, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur*; quod & tristissimis exemplis Ariani & Monothelitici furoris comprobatum est, & virorum maximorum, Athanasii, Hilarii, Sulpitii Severi, Hieronymi, Augustini, Vincentii Lirinensis, Maximi, crebris vocibus deploratum. Hoc ubi accidit, quod aliud remedium Apostoli, quod aliud perpetua Ecclesiæ consuetudo reliquum fecit, quàm ut *conveniant* Episcopi & Presbyteri Ἀπόστολοι καὶ πρεσβύτεροι *videre de verbo hoc*?

Lib. 1. de Concil. cap. 11.

Ezech. XXXIV, 12.

Vincent. Lirin. common. cap. 4.

Scio, quod isti jactare non cessant; multas hæreses absque generalis Synodi congregatione damnatas esse: & pariter scio, quod illi dissimulant, multas etiam non consulto Pontifice damnatas esse; qualia sunt ista hæresum portenta pleraque quae duobus prioribus Ecclesiæ seculis exorta sunt. Sed tum demum istud accidit, cùm universæ Ecclesiæ de ea re sensus omnibus manifestus esset, cúmque esset *aperta pernicies*, ut de Pelagiana hæresi Augustinus loquitur. At quis ita desipiat ut in similium dogmatum loco numeret doctrinam de Gratia per se efficace, necessitate amoris Dei super omnia, aliisque capitibus de quibus agit Constitutio?

L. 4. contra Epist. Pelag. ad finem.

Postremò fictitia est, quæ hìc jactatur, universæ Ecclesiæ consensio. Ut enim omittam plures Episcopos & Presbyteros Constitutioni apertè resistere quàm olim hæresi durante Ariano & Monothelitico impetu; de ipsis illis qui Constitutionem amplecti videntur, quàm multa dici possunt! Nam

1. Ut Constitutionis doctrina ubique recepta censeatur, non sufficit ut ipsa Constitutio peregrina aliqua interpretatione aut vago modo recipiatur, sed constare debet illud ipsum à recipientibus damnari quod ii docent qui recipere detrectant,

trectant. Hoc & res ipsa loquitur & Jesuitæ frequenter inclamarunt. Porrò

2. Palam est Gallicanos Antistites plurimos ex iis qui Constitutionem susceperunt, simul tradere eadem dogmata quæ Appellantes tradunt : atque ita dogmatum illorum damnationem ab illis non suscipi liquet.

3. Quod aliorum regnorum Episcopos attinet, nemo illorum affirmare audet se judicium Episcopale de omni hoc negotio instituisse; nemo exponere quo sensu damnet propositiones damnatas. Et tamen impudentissimum sit negare, multos illorum doctrinæ Gratiæ efficacis aliisque hodie controversis inhærere. Itaque hi rursum non de dogmate ipso consentiunt. Inanis ergo est tot nominum, tot regionum ostentatio, quæ passim non minus ineptè quàm ambitiosè usurpatur, at nusquam ineptiori & pueriliori stylo quàm in Epistola Pastorali Gandavensi.

4. His adde, quàm parum libertatis sit Episcopis italis à Romana Aula, quàm parum Hispanis ab Inquisitione.

5. Denique sunt ingentes Provinciæ ex quibus non nisi unius Episcopi aut unius Inquisitionis testimonium refertur.

Si ergo rem ex vero æstimes, judicabis profectò nullam hìc nisi vocum & sylla-

barum consensionem esse, circa res ipsas summum dissidium. Ut numquam magis ad *quæstionum veritatem eliquandam*, ut Augustinus loquitur, necessaria fuerit œcumenica Synodus quàm his temporibus.

At nulli magis intolerandi sunt adversarii, quàm ii qui de dogmatum veritate Appellantibus consentientes, hæresim tamen & schisma, per summam calumniam inclamare non desinunt. Nec sanè capio quo animo P. Wavrius alterum è libellis suis ita inscripserit: *Dissertatio de præsenti hæresi & schismate quorumdam in Gallia exortis.* Si enim, ut ille contendit, malè crediderint ea dogmata quæ ipsis cum Wavrio communia sunt per Constitutionem fuisse damnata, jam non alia ratione peccant quàm quod à vero Constitutionis sensu aberrent, & potuisse ea dogmata à Pontifice damnari existiment. Qui verò ob has tantùm causas ut schismaticos & Hæreticos proclamat Episcopos non paucos, Presbyterorum & Laïcorum innumerabilem turbam, viderit an non ipse in schismatis crimen præceps ruat.

Nos interim, mi Theodore, dum hæc procella defævierit, conservandæ veritati, unitati, charitati, unicè operam demus. *Non turbetur cor* nostrum neque

Joan. XIV. 27.

neque

neque formide. Dormit paulisper Jesus dum navicula penè mergitur. Nostrum est assiduis precibus Jesum inclamare, ut surgat, imperetque ventis & mari. Sed ne surgens Jesus nos increpet ut *modicæ fidei* homines, persuasissimum habeamus non posse mergi naviculam cui Jesus præest. Itaque Ecclesiæ Catholicæ indivulso nexu cohærentes, illius de omni hoc negotio judicium exspectemus; nec hæretici aut schismatici loco habeamus ullum ex iis qui sanctissimæ matris illius judicio se parere velle profitentur. *Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia & super Israel Dei.* Vale.

Joan. XIV. 27.

Matth. VIII.

Gal. VI. 16.

17. Januar. 1719.

DIS-

DISSERTATIONIS

PARS PRIMA.

De fictitia Romani Pontificis infallibilitate.

NOn hìc illud agitur ut universæ Traditionis Catholicæ mole opprimatur commentitium illud non errandi privilegium : quamquam enim tantum opus perquam utile foret, nec illi agro istiusmodi seges desit, non quadraret tamen illud præsenti instituto : nec enim tam scriptionem condimus, quàm adumbramus! consilium tamen est aliquam Traditionis illius imaginem delineare. Namque ex omni Ecclesiæ seculo quiddam seligentes quod ad causam pertineat reliqua vel indicantes tantummodo, vel etiam omnino prætermittentes, quodammodo suggeremus quid in hac re præstari posset.

Res quidem certa est omnibus controversiarum peritis, ut dogma aliquod ad Apostolicam Traditionem pertinere censeatur, non plane esse necessarium, ut de illo ex omni seculo scripta testimonia pro-

proferantur. Sunt quædam ſecula quibus rari fuerunt boni Scriptores; plerique in iis pertractandis ſolent maximè verſari quæ ſua ætate agitabantur. Manet tamen aureum illud Vincentii Lirinenſis κριτήριον; *Quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus*, dum pleriſque ſeculis dilucida teſtimonia pro dogmatis veritate, nulla aut rara adversùs illam demonſtrantur; etſi fortaſſis uno aut altero ſeculo nulla apud Scriptores qui exſtant, de illo dogmate mentio injiciatur. Ea tamen eſt in hac quæſtione argumentorum omnium ubertas, ut nullo ſeculo deſint ſcripta teſtimonia, pleraque etiam inſigni quadam nota illuſtriora. Sic videlicet, ut vel tardioribus, aut adverſæ opinionis tenacioribus omni tempore non veſtigia tantùm, ſed ampla ſemita ad veritatem oſtendi poſſet, conſultum nobis voluit divina ſapientia; & tantò quidem abundantiorem lucem ſubminiſtravit, quantò noverat impenſius conaturos homines potentes & vaferrimos, ut tam latè patentem errorem (fictitiam infallibilitatem Pontificis intelligo) velut omnium ſuarum machinationum fundamentum, omnibus viribus & artibus conſtabilirent.

Scio hìc non defuturos qui ad ſingula occinant ſuum illud *Ex Cathedra*, unicum ſcilicet in deſperata cauſa perfugium: nec

tamen

1 Tim. VI. 4. tamen arbitratus sum circa illas *verborum quæstiones languendum* esse, & perpetuò laborandum ut ad singula ostenderetur agi illic de Pontifice loquente *Ex cathedra.* Ut enim omnes nebulæ quas hac distinctiuncula objicere nituntur, facilè queant dissipari, satis erit hic pauca præmonuisse.

1. Indiscriminatim docent Patres, Concilia, ipsi Pontifices, posse Romanos Pontifices erronea dogmata proferre: nec ulli in mentem venit ante hæc novissima secula, illum omnino infallibilitatis genus in illis agnoscere: numquam item adhibita mystica illa distinctio de *privato Doctore* & *Pontifice ex Cathedra* loquente. Indiscriminatim igitur accipienda sunt illa testimonia, nec sine temeritate illorum pondus elevare student Recentiores quidam, tam inani & novitia distinguendi ratione.

2. Sæpè accidit ut illa distinctio fuerit necessariò adhibenda, si modo tam vera quàm commoda fuisset: numquam tamen adhibita fuit, ne in Honorii quidem causa tantoperè agitata. Nihil igitur hìc distinguendum censuerunt illorum temporum Catholici omnes.

3. Cùm omnes post Bellarminum Transalpinarum opinionum sectatores, voces illas *Ex Cathedra*, ad singulos penè versus usur-

usurpent, nihil tamen hactenus etiam inter illos minus certum est quàm quid illæ voces significent. Alii accuratum rei examen; alii Synodum Diœcesanam; alii Collegium Cardinalium; alii plura etiam postulant: plerique nunc illud dicunt, loqui Pontificem *Ex Cathedra*, cùm omnes fideles alloquitur; verùm hoc isti non edicunt, an necesse sit Pontificem conceptis verbis pronunciare, se ad omnes loqui: quod si affirment, quandonam obsecro *Ex Cathedra* loqui censebuntur Pontifices, qui vixerunt priusquam solemnes illæ Bullarum formulæ usu receptæ essent? Si negent, ad idem incertum delabimur. Sola igitur istarum vocum ambiguitas hominumque mutuas conjecturas abigentium pugnæ, & nos onere singulis cavillis respondendi liberant, & quàm sit ruïnosum omne istius systematis ædificium, satis produnt.

4. Ut tamen quod res est, fatear, non ex omni parte vana videtur hæc distinguendi ratio. Alia enim est cujusvis Episcopi auctoritas cùm pro munere suo docet, mandat, vetat, agit, quàm si in communem Theologorum ordinem se cogens de re quadam, ut ceteri, disputet: consimili proinde ratione de Summis Pontificibus censendum videtur. Atque ita, si lubet, *Ex Cathedra* censebuntur

tur

tur loqui, cùm in rebus ad fidem pertinentibus non privatim disputabunt, sed ut Episcopi pronunciabunt; cùm Decreta condent; cùm de fide consulentibus respondebunt, quibuscumque tandem verborum formulis concepta sint, ad quoscumque directa sint illorum responsa: ita & tunc cùm ad populum pro concione dicent, quippè *Ex* illa tam veneranda Apostolici muneris *Cathedra* pronunciantes. Ad quam notionem si, ut æquum sanè videtur, redigi se patiantur Romanarum opinionum vindices, jam omnium seculorum testimonia ipsis occlamitabunt, Romanos Pontifices *Ex Cathedra* loquentes, non tantùm errare posse, sed & aliquoties errasse. Utrumque breviter jam demonstrandum est.

SECULO I.

NOn sine admirabili consilio divinæ providentiæ factum est, ut ipsis Apostolicis temporibus orta sit grandis controversia de ritibus Mosaïcis. Ex illius enim serie & fine norma relicta est secuturis seculis judiciorum Ecclesiasticorum; ex qua discimus non per unum quemlibet Apostolorum successorem (ne Petri quidem) ferri sententiam quæ controversiis circa fidem natis sua solius au-

ctoritate

ctoritate finem imponat. Nec enim unus Apostolus sententiam tulit; sed *convenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc.* Act. XV. 6. Quin postquam in sacrosancta illa Synodo Petrus sententiam dixit; non continuò censuerunt Apostoli aliive fideles causam finitam esse; sed *Respondens Jacobus dixit : Viri fratres, audite me.* v. 13. Moxque indicatis testimoniis Prophetarum, fert & ipse sententiam : *Propter quod ego judico* &c. v. 19. Et post hæc, *Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia.* v. 22. Neque, ut jam multi observarunt, scriptum est in Epistola Synodica, *Visum est Spiritui Sancto & PETRO*; sed; *Visum est Spiritui Sancto & NOBIS.* v. 28. Adde quod pars decretoria Epistolæ, ipsis penè B. Jacobi, non B. Petri, verbis concepta est, ut apparet ex v. 29. Quibus omnibus quid aliud posteros docere voluerunt Apostoli, nisi tum solùm certò constare Spiritum Sanctum locutum esse, cùm universa Ecclesia sententiam tulit, non verò postquam Petrus Petrive successor solus locutus est? Plus aliquid audet Pelagius II. Romanus Pontifex in celebri Epistola ad Episcopos Istriæ, quam S. Gregorii Magni (cujus operâ in rebus maximis utebatur Pelagius) calamo exaratam ex stylo multi conjiciunt : ita enim de S. Petro loquitur : *Diu quippe restitit,*

stitit, ne ad fidem gentes sancta Ecclesia sine circumcisione reciperet . . . . qui tamen à Paulo postmodum ratione suscepta, dum quosdam gentiles ad Ecclesiam venientes pondere servandæ circumcisionis onerarent, dicit: Cur tentatis Deum, imponentes jugum, quod neque Patres nostri neque nos portare potuimus? *Numquid, fratres dilectissimi, Petro Apostolorum Principi SIBI DISSIMILIA DOCENTI, debuit ad hæc responderi: Hæc quæ dicis, audire non possumus; quia aliud ante prædicasti? Si igitur in Trium capitulorum negotio aliud cùm veritas quæreretur, aliud inventa veritate dictum est, cur mutatio sententiæ huic Sedi in crimine objicitur, quàm cuncta Ecclesia in ejus auctore veneratur?* Palam est ex his, credidisse Pelagium, & cum eo etiam, ut videtur, Gregorium Magnum, Petrum *mutasse sententiam*, atque ita non tantùm malè conversatum esse cùm à Paulo reprehenderetur, sed & male sensisse ac errasse. Nec tamen affirmamus rectè hac in parte existimasse Pelagium, quoniam reclamant Scriptores gravissimi etiam è Patribus: ast illud saltem apparet credidisse Pelagium, errori obnoxium fuisse ipsum S. Petrum. Quantò magis illi obnoxii erunt ejus Successores!

SE-

SECULO II.

PRoximum ab Apostolicis temporibus argumentum præbere videtur Victoris Papæ cum Asianis Episcopis contentio quoad diem quo Paschæ festum quotannis celebrandum esset. Quos ille omnes aut à communione removit (quod eruditis quibusdam visum est) aut certè remoturum se est comminatus. Qua de re Apostolica & Paulina libertate eum reprehendit magnus Irenæus. Manserunt in sententia Asiani : quos usque ad Nicæna tempora, nemo catholicus censet à communione Catholica remotos fuisse, quidquid demum Victor decrevisset.

Quibusdam nullius pretii videtur argumentum ex illa controversia desumtum; quoniam omnis ea quæstio non ad fidem, sed ad Ecclesiasticos ritus tantummodo pertineat, ut aiunt. Hos verò rogatos velim, ut rem paulò maturiùs expendant. Non tam erat Christianæ doctrinæ ignarus Victor, ut nesciret tolerandos esse diversos ritus qui neutra parte fidem attingerent, tolerabatque ipse magnam in aliis ritibus diversitatem. Hunc ergo ritum aliqua parte ad integritatem fidei pertinere existimabat. Si rectè existimabat, non igitur persuasum

erat Catholicis Romani Pontificis judicio sub anathematis pœna standum esse; etiam in causis fidei: sin male, docuit igitur ad fidem pertinere, quod à fidei compage erat alienum; atque ita erravit judicans de rebus fidei. Rectè enim Joannes Major animadvertit, hæresim esse si quis dixerit ad fidem pertinere quod ab illa alienum est, perindè ac si alienum à fide dixerit quod ad illam pertinet.

Nec tamen malè fortassis id existimaverit Victor; cùm post Nicæni Concilii judicium, passim hæretici habiti sint adversæ opinionis sectatores; qui sanè schismatici tantùm dicendi forent, si de mero ritu hìc actum fuisset qui ad fidem non spectaret. Et revera quibusdam ritibus fides necessario quodam vinculo veluti connexa videtur: sic enim iisdem ferè temporibus in hæresum numero Clemens Alexandrinus collocat Hydroparastatas, hoc est illos qui vinum consecrandæ aquæ admiscere nolebant. Quis porrò scit, an non opinionem aliquam Judaïcam suo ritu foverent Asiani illi? Certè, ut jam diximus, ubique inter hæreticos collocantur, dicunturque Quarto-Decumani. Nec tamen illos ob Victoris sententiam quisquam hæreticos existimavit, priusquam centum & pluribus post Victorem annis,

Lib 1. Strom. ἐπὶ τῶν... αἱρέσεων... εἰσὶ γὰρ οἱ καὶ ὕδωρ ψιλὸν εὐχαριστοῦσιν.

annis, ab universa Ecclesia in Nicena Synodo damnati essent.

SECULO III.

NOtissima est S. Cypriani cum Stephano Romano Pontifice controversia. Sententiam rogatus Cyprianus, docuerat nullum extra Ecclesiam esse verum baptisma, ac proinde hæreticos omnes ad Ecclesiam revertentes, rursum esse baptizandos. Contra Stephanus validum censebat hæreticorum baptisma, ac ne hospitio quidem aut colloquio dignabatur Cypriani legatos, Seductores & Pseudo-Apostolos appellans. Cyprianus Concilium habuit, quo illius opinio communibus suffragiis laudata est. Cumque de eadem re scripsisset in Asiam, responsum accepit à Firmiliano Cæsareæ Cappadocum Episcopo, qui suo & vicinorum Episcoporum nomine Stephani sententiam acriter exagitabat. Mansit in sententia Cyprianus cum Africanis Episcopis; mansit Firmilianus cum Orientalibus; & quamvis illorum doctrina unanimi consensu postmodum rejecta fuerit, nemo tamen illos aut hæreticos aut schismaticos judicavit: nemo igitur censuit debuisse illos Stephani Decretum ut à Spiritu Sancto profectum amplecti. Mit-

to quòd quibusdam eruditis visus est Stephanus in diversum errorem incidisse, dum edicit nullos *à quacumque hæresi* revertantur, rebaptizandos esse. Mitto quòd iisdem videantur Athanasius & Basilius, etiam post Synodos Arelatensem & Nicænam, Cypriani opinionem secuti (addi potest Pacianus) illa enim huic causæ sufficiunt quæ apud omnes sunt in confesso.

Jam hoc abunde est ad rem quæ agitur. Quid enim amplius desiderari queat, quàm ut ostendantur plerique Africani, multi Orientales Episcopi, dogmaticum Decretum * Pontificis rejecisse, nemine Pontificiam infallibilitatem inclamante? Certè modo alicui argumento negativo, ut vocant, vis insit, huic inerit. Sed habemus quod addamus. Nec enim tantummodo Cypriani agendi rationem nemo reprehendit, sed impensè laudavit Magnus Augustinus, qui omnium maximè in eadem controversia pertractanda desudavit. Occurrunt multa ab illo in hanc partem dicta, omnibus iis operibus quæ in Donatistas scripsit. Unum aut alterum

* De iis qui putant non ad dogma, sed ad disciplinam pertinuisse eam controversiam, vide libellum Gallicum cui titulus : *Refutation abr. du Traité du Schisme* ; ubi res hæc copiosè pertractatur.

alterum selegisse sufficiat. *Ecce*, inquit, *duo erant uno tempore, ut de aliis taceam, qui diversa sentiebant: duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet & Carthaginensis, Episcopi Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Catholica constituti: quorum Stephanus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat: Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos, tamquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia Catholica existimabat. Multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant, utrique cum eis in unitate consistentes.* Eat nunc amarulentus Scriptor *De Schismate*, & neget posse *in unitate Catholica* & Apostolicæ Sedis communione *consistere* eos qui Pontificis Decretum aliquod dogmaticum rejiciant. Rursum alio loco Augustinus: *Quia tunc non extiterant nisi qui consuetudinem opponerent, defensiones autem ipsius consuetudinis non tales afferrent quibus illa talis anima moveretur, noluit vir gravissimus rationes suas, etsi non veras (quod eum latebat) sed tamen non victas, veraci quidem, sed tamen nondum asserta consuetudini cedere.* His similia frequenter repetit: cùm enim Donatistæ auctoritatem Cypriani pro dogmatis sui defensione assiduè in ore haberent, eadem assiduè respondere cogitur Augustinus; responsionis

Lib de Unico Bapt. cap. 14.

Traité du Schisme chap. 3. *&* 4.

Lib. 2. de Bapt. cont. Donat. cap. 8.

sionis summâ semper huc redeunte, ut dicat idcirco Catholicum fuisse Cyprianum, quòd illius ætate nulla auctoritas falli nescia controversiam dirimisset; Donatistas hæreticos, quòd eamdem sententiam tueri pergerent, *postquam universalis Ecclesiæ concordissima auctoritate* veritas firmata esset. Idem de eadem controversia judicium tulit Vincentius Lirinensis acerrimi ingenii Scriptor: *Et o rerum*, inquit, *mira conversio! Auctores ejusdem opinionis Catholici, consectatores verò heretici judicantur. Absolvuntur magistri, condemnantur discipuli: conscriptores librorum filii regni erunt, assertores verò gehenna suscipiet. Nam quis illud sanctorum omnium & Episcoporum & Martyrum lumen, beatissimum Cyprianum, cum cæteris collegis suis in æternum dubitet regnaturum esse cum Christo? Aut quis contra tam sacrilegus, qui Donatistas & cæteras pestes quæ illius auctoritate Concilii rebaptizare se jactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum diabolo?* Et tamen nullum inter Cyprianum & Donatistas erat discrimen nisi quod in eadem causa Cyprianus Pontifici & multis Episcopis obsisteret, Donatistæ universali Ecclesiæ. Est ergo immensum discrimen inter auctoritatem Decreti Pontificii, etiam consensu plurimorum

Commonit. cap. 9.

rum

rum Episcoporum suffultam, & concordissimam Ecclesiæ auctoritatem.

SECULO IV.

Cùm Ariana hæresis *penè orbem totum contaminaverat*, in constantissimis orthodoxorum fuit Liberius Romanus Pontifex, qui *restitit* usque ad exilium, *sed non usque ad sanguinem*: tædio enim exilii victus, beatissimum Athanasium à communione removit, Arianos ad suam communionem admisit, Arianorum formulæ subscripsit. Quamobrem invictus ille Hilarius Pictaviensium Episcopus, cujus *unius beneficio servatas esse Gallias* immunes Arianæ pestis, pro comperto habet Sulpitius Severus, tertiò Anathema in Liberium fertur torsisse, quod etiamnum exstat inter illius Fragmenta.

Vincent. Lirin. commonit. cap. 6.

Hebr XII. 4.

Hist.Sacr. Lib. 2.

Hìc desudant Transalpinarum opinionum sectatores, ut cùm duæ fuerint formulæ Sirmii conditæ, quarum posterior multo apertiùs priore Arianam doctrinam exprimit, priori tantùm non posteriori subscripsisse credatur Liberius. Multis eruditis aliter videtur. Verum ut omni non necessaria controversia abstineamus, ultro largiamur priori tantùm Sirmiensi formulæ subscripsisse Liberium: at simul qualis esset illa formula, audiamus

vel adversarios fatentes : * *Prævaricatus est Liberius*, inquit mox citatus Scriptor, *non quòd formulæ hæreticæ subscripserit, sed formulæ fallaci, & qua uti Hæreticos occultandis erroribus suis non ignorabat : atque hoc sensu subscripsit Arianæ perfidiæ, seu hæresi dolosè latitanti.* Liberius igitur qui hic sanè ex Cathedra loquebatur (cùm alios à communione removeret, alios admitteret) subscripsit Formulæ dolosè quidem hæreticæ, sed hæreticæ tamen; &, quod rei caput est, subscripsit non ignarus esse formulam qua gaudebant uti hæretici, & præter quam nihil ab eo postulabant ut ejusdem cum illo communionis esse censerentur. Qui hæc omnia facit, ac præterea à communione Catholica ad Arianam apertè deficit, si non palam docere hæresim dicendus est, jam oportet omnium verborum vim in gratiam Pontificum mutatam esse. Non tam multa præstabant quidam ex iis qui in idololatriam lapsi censebantur primis Ecclesiæ seculis.

S E-

* Libere a prevariqué non en signant une formule hérétique, mais en signant une formule captieuse, & dont il savoit bien que les hérétiques abusoient pour cacher leurs erreurs: & en ce sens il signa la perfidie Arienne, ou l'hérésie cachée artificieusement. *Traité du Schisme chap. 5. art. 2.*

SECULO V.

UT fuit hoc seculum multis eruditisque Scriptoribus refertum, varia ex illo argumenta repeti possunt pro re de qua agitur. At unus pro omnibus sufficiat Augustinus. Jam illius quidem mens perspecta esse potuit ex iis quæ ad Seculum III ex illo prolata sunt. Unum aut alterum testimonium ejusdem generis adjiciemus.

Primum pertinet ad Cypriani causam. De hac jam audivimus disserentem Augustinum, Cypriani constantiam non excusantem tantùm, sed laudantem. Nunc audiamus de seipso profitentem, se eodem modo crediturum & facturum fuisse si Cypriani ætate vixisset: *Nec nos ipsi*, inquit, *tale aliquid auderemus asserere, nisi* UNIVERSÆ ECCLESIÆ CONCORDISSIMA AUCTORITATE FIRMATI: *cui & ipse* (Cyprianus) *sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur.* Et brevius: *Profecto issem in eandem sententiam.* Profitetur itaque Augustinus, se adversùs Stephani Papæ definitionem, amplexurum fuisse Cypriani sententiam, si ea ætate vixisset.

Lib. 2. de Bapt. cont. Donat. cap. 4.

Aliud clarissimum ejusdem Summi Viri testimonium exstat in causa Pelagianorum. Zozimus Romanus Pontifex ambigua fidei confessione delusus, hæresiarchas laudaverat; Catholicos accusatores Erotem & Lazarum Gallicanos Episcopos contumeliis oneraverat. Sed hæreticorum fraude perspecta, & re accuratiùs perpensa sententiam mutaverat. De priore Zozimi judicio insigniter gloriabatur Julianus Eclanensis, Pelagianorum Scriptorum Coryphœus. Quid ad hæc Augustinus? Primum illud ait, non ipsa dogmata probasse Zozimum, sed æquivocis deceptum eos ab iis dogmatis alienos credidisse, ac idcirco laudasse. Sufficiebat id quidem ut Juliano responderetur: at hoc non contentus, ostendere voluit, quantùm abesset ut Romani Pontificis, imo totius Romani Cleri judicium irreformabile existimaret. Sic itaque prosequitur: *Sed si, quod absit, ita tunc fuisset de Celestio vel Pelagio* IN ROMANA ECCLESIA JUDICATUM, *ut illa eorum dogmata quæ in ipsis & cum ipsis Papa Innocentius damnaverat, approbanda & tenenda pronunciarentur, ex hoc potius esset* PRÆVARICATIONIS NOTA ROMANIS CLERICIS INURENDA.

Lib. 2. cont. duas Epist. Pelagian. cap. 3.

Magne

Magne Auguſtine! ecce, advenit tempus quo miſerabiles reliquiæ *illorum dogmatum quæ in ipſis & cum ipſis Papa Innocentius damnaverat, approbanda & tenenda pronunciantur!* veritatis à te defenſæ juva defenſores: ut tandem ab univerſa Eccleſia *Romanis Clericis*, ſed ad ipſorum ſalutem merita *prævaricationis nota inuratur.*

SECULO VI.

HOc Seculo miras turbas concitavit illa de Tribus Capitulis controverſia, hoc eſt, de ſcriptis Theodori, Theodoreti, & Ibæ; omnemque penè Orientem cum Occidente commiſit. Erant ſcripta illa pro orthodoxis habita in Chalcedonenſi Synodo, quamquam Neſtorianam hæreſim redolere non paucis viderentur. Ac revera Juſtinianus Imperator conſiliis præſertim Theodoræ conjugis ſuæ, quæ clam Eutychianis faviſſe creditur, eò adductus eſt, ut Trium Capitulorum damnationem quoquo modo ab Epiſcopis elicere niteretur, imprimiſque à Vigilio Romano Pontifice, quem aliis de cauſis ſibi obſtrictum Theodora noverat.

Is ſub initio reſtitit; ſed ut Juſtiniano ac Theodoræ morem gereret, tandem

damnavit hactenus defensa capitula, edito solemnissimo decreto quod *Judicatum* appellatur. Id ubi palam factum est gravissimos motus concitavit: apertè enim Illyrici & Africani Episcopi, atque omnes propemodum Occidentales se à Vigilii communione segregabant. Quorum clamore excitatus Vigilius, alterum decretum edidit cui nomen *Constitutum*, quo anathematizat eos qui Tria Capitula damnare ausint. At ab alia parte eodem ferè tempore Synodus Constantinopolitana, quam quintam Generalem vocant, anathemate feriebat eos qui Tria Capitula damnare detrectarent. Cui sanctioni Vigilius per metamorphosin novam consensit, abolitisque omnibus quæ pro Tribus Capitulis & ipse & alii decreverant, perpetuum anathema illis dixit; unius decennii tempore quater aut quinies sententiam immutans, ac fortioribus se aggregans: idque καθ' οἰκονομίαν, ut aiebat celeberrimus Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis. Hanc illius Tragœdiæ brevissimam expositionem non existimavi argumentis firmandam, tum quòd vix ulla sit apud Historiographos Ecclesiasticos magis obvia, tum quòd occasione Jansenianæ controversiæ in omnium penè ore versetur, passimque in libris ea de re editis occurrat.

Si

Si hìc res tantummodò cum Jesuitis, aliisve quos non puduit affirmare etiam in declarando sensu scripti cujusdam aut libri non posse errare Pontificem, totumque illud controversiarum genus ad fidei integritatem pertinere, hi pulcherrimè hoc dilemmate constringi possent: Si ad fidem non pertinet controversia de sensu Trium Capitulorum, pari ratione ad illam non pertinet controversia de sensu Janseniani libri: Si autem ad fidem utraque pertinet, erravit circa fidem Vigilius qui in re eadem toties sententiam mutavit; cujusque *Judicatum* & *Constitutum* (duo solemnia Decreta; &, si quod usquam est, cathedratica) manifestè secum pugnánt. Cuperem equidem rescire quid ad ejusmodi dilemma reponeret Jesuita quispiam, aut alius è ferocioribus adversariis; qui ab omni parte hæresim non minus improbè quam imperitè inclamant.

At quum non omnes cum istis desipiant, æquum est etiam iis facere satis, qui fatentur illam de Tribus Capitulis dissensionem, omnesque ejusdem generis ad fidei compagem non pertinere. Itaque id cum illis fatemur: largimur deinde, numquam circa fidei negotia pravè sensisse Vigilium: & contendimus tamen vel ex hac historia planum esse, quan-

tum abessent illius seculi Episcopi ab illa de Pontifice falli nescio sententia. Nec enim illud existimabant Occidentales Episcopi, de genuino sensu Trium capitulorum tantummodò agi, sed de ipsa Chalcedonensi Synodo abroganda & Eutychiano errore sanciendo. Statim enim ac Vigilii *Judicatum* per Occidentem vulgatum esset, cœperunt (ut ait vir summus Eminentissimus Cardinalis Norisius, Scriptor Transalpinus non pro suspecto habendus) *Conqueri singuli ac deplorare, Synodi Calchedonensis auctoritatem a Vigilio depressam, proditam ab illo fidem, Ecclesiam pravo dogmate imbutam.* Qui ita querebantur, ob easque causas à Vigilii communione recedebant, an non illi existimabant Vigilium solemni Decreto errorem docuisse, adeoque nihil minus esse quàm infallibilem? Erant autem illi non modo Illyrici & Africani Episcopi; sed, si Eminentissimo Norisio fides, universi *Occidentales.*

Differt. de quinta Synodo cap. 4.

SECULO VII.

VErùm inter omnia quæ proferri solent exempla adversus illud non errandi privilegium, nullum illustrius proferri posse abitror quàm Honorii. Rem omnibus notam, paucis proponam. Vigebat

gebat hoc seculo controversia de unica aut duplici in Christo voluntate; Sergius Constantinopolitanus Patriarcha, Monothelitarum hæresi addictus, scripsit ad Honorium adulatrices literas, quibus Ecclesiæ Romanæ fidem magnificè extollit, ejusdem Ecclesiæ sententiam ab Honorio sciscitatur circa illam de voluntate Christi doctrinam. Respondit Honorius Sergio: collaudat, quod in rebus dubiis Ecclesiam Romanam consulat: profitetur se illius Ecclesiæ sententiam perscribere: Sergii Epistolam laudat: ipsumque tandem hortatur hoc modo; *Hæc nobiscum Fraternitas vestra prædicet, sicut & nos ea vobiscum unanimiter prædicamus.* Qui hoc responsum neget *ex Cathedra* editum, vix credere possim eum non mala fide loqui. Quod enim Decretum augustius magisque Pontificium esse possit, quàm ubi Pontifex non de privata sententia sed de Apostolicæ Sedis doctrina interrogatus circa gravissimam controversiam qua omnis Oriens in partes scindebatur, & interrogatus non à privato quodam, sed à Constantinopolitano Patriarcha, qui proximam à Romano Pontifice personam in Ecclesia sustinebat; suæ Ecclesiæ fidem gravissimis verbis exponit? Et illa tamen talis Epistola in Sexta Synodo œcumenica,

cum

cum suo Auctore damnata est ignibusque addicta: ubi assiduè Honorii nomen cum aliis Monothelitarum nominibus indiscriminatim recensetur. Non autem ut æquivoca, aut minus cauta, aut indirectè hæresi tantùm favens (quæ nunc sunt quorumdam effugia) sed his verbis damnata est: *Retractantes dogmaticas epistolas, quæ tam à Sergio scriptæ sunt ad Cyrum, quàm ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ; similiter & Epistolam ab illo, id est Honorio, rescriptam ad eumdem Sergium, hasque invenientes* ALIENAS *existere* AB APOSTOLICIS DOGMATIBUS, *& à definitionibus Sanctorum Conciliorum & cunctorum probabilium Patrum*, SEQUI *verò* FALSAS DOCTRINAS HÆRETICORUM; *eas omnino abjicimus*. Hæc dein Synodi sententia duobus sequentibus seculis in septima & octava Synodo confirmata est: &, quod Pontifices Romanos attinet, non modo Agathoni & Leonii II probata; sed aliquot seculis ab omnibus Pontificibus innovata dum consecrarentur; ut planum est ex professione fidei quam invenire est in *Libro Diurno Romanorum Pontificum*, quem edidit eruditus Jesuita Joannes Garnerius. Ut nemo hæresiarcha frequentius & solemnius damnatus sit, quàm cum infausta sua Epistola Honorius.

Actio XIII.

2. t. 9.

Fa-

Facere non possum, etsi ineptum videri potest, quin hoc loco mentionem injiciam de miserabili quadam scriptiuncula quæ cùm hæc scribo ad manus meas pervenit. Fragmentum est stolidissimi Sermonis Mechliniæ habiti 13. Nov, 1718. idque Belgicè. Illud quamquam nihil complectitur quàm veteres quisquilias sine ordine ac judicio inter se compactas, sic tamen placuit suo Auctori ut typis vulgandum censuerit: nec cogitavit miser, nullis eum nisi imperitissimis posse fucum facere tam putidâ pagellâ: Peritioribus verò aut plumbeum aut impostorem visum iri se, quem has Cypriani voces *Sacerdoti Dei*, non pudeat Belgicè vertere *den Paus*, hoc est *Romano Pontifici*; cùm tamen manifestum sit de seipso illic loqui Cyprianum, non de Pontifice, ut centies blateronibus istis regestum est: & illi interea pergunt frigidissimas suas nœnias novâ ferociâ inclamare, de responsione data nihil solliciti. Ast hæc indigna Cyprianici textus corruptio me penè ab instituto abduxerat. Nec enim idcirco de Fragmento isto mentionem facere volui, sed ut hominis illius arrogantiâ plenam gloriationem in eum recidere commonstrarem. Ait multos annos frustra *desudasse* eos qui Pontificis infallibilitatem oppugnant, ut vel unum

pag. 8.

pag. 11.

unum exemplum alicunde eruerent, quo ostenderetur Pontificem aliquem de fide decernentem erraſſe. Quàm parum in tanta rerum copia deſudandum ſit, norunt ii quibus non penitus incognita eſt Eccleſiaſticarum rerum hiſtoria. Sed ſi quos noſſe velit ille Scriptores qui in hac cauſſa quærendis evaſionibus *deſudarint*, noverit eſſe Bellarminum ſuum (cujus abſurdiſſimam cenſuram, ab ipſo Exjeſuita Veronio * caſtigatam, velut oraculum profert) noverit eſſe omnes Tranſalpinarum opinionum inſtitores, cùm illis ad hoc ineluctabile de cauſſa Honorii argumentum reſpondendum eſt.

Primum enim audaciſſimus ille errorum patronus Albertus Pighius, commentus eſt Acta ſextæ Synodi adulterata eſſe: ſecuti ſunt Baronius & Bellarminus, qui cæteroquin doctiſſimi Scriptores cùm ſint, ubi ad Pontificias controverſias ventum eſt, ita præ nimio affectu in obvia quæque ruunt & impingunt, ut animi cauſſa ineptos eſſe velle dixeris. Itaque hæc iſtorum fabula tam malè adornata

* *Bellarminus . . . durus cenſor . . . . . ejus cenſura potius cenſura digna foret, qui ſic tali audet cenſura notare Doctores tam graves.* Franc. Veronius in Regula Fidei ab Illuſtriſſimis Walemburgicis Latinè reddita. §. 15.

nata est, ut etiam à Transalpinis Scriptoribus passim rejiciatur. Atque etiamsi veritate niteretur, non efficeret tamen quin à VII & VIII Synodo, plurimisque Pontificibus, & Honorius & Epistola ejus damnati essent.

Aliud commentus erat Cardinalis de Turrecremata: cujus iterum responsionem arripiunt (ut quamvis tabulam naufragi) Baronius & Bellarminus; videlicet malè à Synodis & Pontificibus intellectas esse Honorii Literas, ac reverà orthodoxas esse, sed improvidè scriptas. Hoc responsum, etsi verum non fateamur, impugnare hìc nihil necesse est. Sive enim benè, sive malè intellectæ sint Honorii Literæ, existimarunt equidem tres Synodi œcumenicæ, totque Pontifices, hæreticas esse: ac proinde non dubitarunt quin solemnissima Romani Pontificis decreta hæretica esse possent.

Duas responsiones, quarum una est, non esse Cathedraticam Honorii responsionem; altera, non esse damnatam ut hæreticam, sed hæreticis suo silentio faventem; supra ex ipsa rei serie, verbisque Concilii refutavimus. Novum commentum Desirantii, qui Romanæ Aulæ novum decus Clementis XI favore accessit, ne commemorare quidem lubet.

Dum

Tum quod pudeat tali homini respondere: tum quòd vix ulli fucum fecerit illa adinventio: tum denique quòd etsi vera esset, rediret equidem eadem argumenti vis, quæ mox ad secundam Baronii ac Bellarmini responsionem explicata est.

Sic isti omnes post tot & tam varias evasiones, nullam hactenus excogitarunt quæ argumenti vim attingeret. Hoc illud est quod in re quapiam *desudari* dicitur. Sibi itaque & suis deinceps servet hanc voculam aliasque non minus vanas, ridiculus concionator Mechliniensis.

SECULO VIII.

ORta disceptatione de imaginum usu atque honore his deferendo, celebrata sunt varia Concilia & pro imaginibus & contra illas. In his eminet Nicenum secundum, quod septimum generale censetur. Hoc etsi confirmatum esset ab Adriano I Pontifice, non tamen illius decreta infallibilia sunt habita: quin omnis Ecclesia Gallicana reclamavit. Cùm enim existimarent Galli, Nicenos Patres, cumque iis Adrianum Pontificem, cultum aliquem ipsis directè imaginibus impertiendum sanxisse, contrarium ipsi sanxerunt in Concilio Francofordiensi, quo trecenti circiter Episcopi con-

convenisse scribuntur. In eamdem sententiam ivit Synodus Parisiensis aliquot post annis celebrata. Imò ipse Imperator Gallorumque Rex Carolus Magnus Opus adversus Nicenum Concilium edidit, & ad Pontificem misit; usus in eo conscribendo operâ gravissimi tum Scriptoris Alcuini, ut nonnullis visum est: appellatur illud passim; *Libri Carolini*; editumque primum est ex antiquis codicibus seculo XVI à Joanne Tillio Episcopo Meldensi, cum hoc titulo: *Opus illustrissimi & Excellentissimi seu spectabilis viri, Caroli Magni, nutu Dei Regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italiamque, sive harum finitimas Provincias Domino opitulante regentis: contra Synodum quæ in partibus Græciæ, pro adorandis imaginibus, stolidè sive arroganter gesta est.* Et quod Pontificem nominatim attinet, sine tergiversatione ad Augustos scribit Synodus Parisiensis mox citata, his verbis: * *Et ideo primùm Epistolam Domini Hadriani Papæ, quam pridem pro imaginibus erigendis, Constantino Imperatori & Herenæ matri ejus ad eorum deprecationem in transmarinis*

* Epistola hæc ita inscripta est: *Excellentissimis ac Victoriosissimis Deoque amabilibus Augustis, Dominis Hludovico & Hludhario, Serenissimis Imperatoribus.*

rinis partibus direxit, coram nobis legi fecimus: & quantùm nostræ parvitati res patuit, sicut justè reprehendit illos qui imagines Sanctorum temerario ausu in illis partibus confringere & penitus abolêre præsumserunt, sic indiscretè noscitur fecisse, in eo quod superstitiosè eas adorari jussit. Pro quarum etiam causa Synodum congregari præcepit, & sua auctoritate sub jurejurando censuit, ut erigerentur & adorarentur & sanctæ nuncuparentur; cùm eas erigere licitum, adorare verò nefas sit. Hæc sententiarum diversitas aliquantisper duravit: ac nemo sive illis sive posterioribus temporibus exstitit, qui Synodos illas ac Imperatores hæreseos accusaret, quamquam palam rejicerent non modò definitionem Pontificiam, sed definitionem numerosissimæ Synodi cum Pontificia auctoritate conjunctæ; nullaque idcirco inter Romanam & Gallicanam Ecclesiam scissio facta est.

Neque refert si dicatur malè à Gallis intellectam sententiam Pontificis & Niceni Concilii. Omninò enim illud & in hoc & similibus exemplis memoriâ tenendum est, non istud propriè agi, hi-ne an illi rectè senserint; sed istud, omnes illos qui Pontificiæ sanctioni obsisterent censuisse Pontificem erraſſe, neque eo nomine ab aliis Catholicis pro hæreticis aut schismaticis esse habitos, quòd Pontificum

cum decreta impugnarent: Unde consequens est, neutram contendentium partem credidisse Pontifices errorum immunes esse.

SECULO IX.

A Synodo œcumenica hìc rursus argumentum subministratur; itemque ab ipso Romano Pontifice Adriano II. Cùm enim Constantinopoli habenda esset Synodus (quæ octava œcumenica est) de caussa Ignatii & Photii, scripsit ad illam Adrianus II. In iis Literis quantùm potest attollit Apostolicæ Sedis dignitatem, quæ pro Ignatio adversùs Photium pridem sententiam tulerat. Et quoniam objici poterat, Honorii Decretum fuisse à Sexta Synodo rescissum atque damnatum, in eam rem ita differit. *Licet Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est quia super hæresi fuerat accusatus, propter quam solùm licitum est minoribus majorum suorum moribus resistere, vel pravos sensus liberè respuere.* Hæc Adriani Epistola in jam dicta œcumenica Synodo lecta fuit & probata. *Actio VII.*

Ex illa porro hæc colliguntur: 1. Honorii crimen fuisse *hæreseos* crimen, non verò cujusdam neglectûs ut quidam eum

excusare conantur, 2: Fateri Adrianum, fas esse Decretum Pontificium *super hæresi accusare* & illius *pravos sensus liberè respuere*; adeoque non esse infallibilia illa Decreta, 3: Tunc fas esse Episcopis *minoribus*, in unum congregatis, damnare Pontificium Decretum ut fecerat Sexta Synodus, cujus Patres Adrianus significat per *τὸ Orientales*, cujusque sanctionem probat. Quid amplius desideratur hodie ab Appellantibus, circa Clementis XI Decretum illo Honorii multò tetrius?

SECULO X.

SUb exitum Seculi noni & initio Decimi miras tragœdias in Sede Romana peperit causa Formosi Romani Pontificis. Is cùm esset etiamnum Episcopus Portuensis & Legatus Apostolicæ Sedis, seu verò, seu falsò, variorum criminum accusatus est, in quibus erat etiam crimen perduellionis. Hinc Joannes VIII Formoso, dignitatem abrogavit, coegitque jusjurandum præstare quo sponderet se in communione laïca omni vita permansurum. Mortuo Joanne, Marinus Romanus Pontifex Formosum crimine & jurejurando solvit, Sedique Portuensi restituit. Post, ipse Formosus ad Apo-

stoli-

ftolicam Sedem evectus eft. Formofo fucceffit Stephanus VII, homo immani odio in Formofum æftuans : Ne fufpectos teftes proferamus, audiatur Baronius, etfi fortaffis in ea re aberret quòd de Formofo tam magnificè fentiat : *Vi summa collecto conventiculo Epifcoporum fimulque Presbyterorum Cardinalium fui fimilium, Formofi venerandum cadaver effoffum, è fepulcro extractum, tanquam viventem hominem ad judicium adductum, judicari voluit atque damnari, & in pœnam tribus digitis amputatis in Tiberim demergi.* Jam hoc quidem furere eft. At illud magis in rem noftram facit, quòd in eodem conventiculo feu Concilio decrevit Stephanus, omnes ordinationes facras à Formofo factas irritas effe. Hoc quoque eodem loco fatetur Baronius. *Adjecit perfidus, ut omnes ab eodem Formofo Pontifice Sacris Ordinibus initiatos exauctoraret.* Ac revera multos eò adegit ut novam ordinationem fufciperent. Stephano proximè fucceflerunt Pontifices aliquot, qui exiguo tempore vixerunt: reftituerunt tamen Formofi memoriam, ejus ordinationes ratas effe fanxerunt, refcideruntque acta Stephani cum fuo Concilio. Sed anno 907 fuccedente Sergio III, homine ab omni parte fcelerato, iterum nova rerum facies apparuit. Ille enim convocata Sy-

Baron. ad ann. 897. *n.* X.

nodo Formosum rursus damnavit, ejus acta rescidit, ordinationes irritas pronunciavit, & excommunicationem vibravit in eos qui à Formoso consecrati sacrorum ordinum munia obire auderent non suscepta nova consecratione.

Solent hìc nonnulli effugium captare ea via, ut quæ in Conciliis suis egerunt Stephanus VII & Sergius III, ad meras facti controversias redigant, in quibus falli posse Pontifices ipsi Transalpini Scriptores fatentur. At nequaquam satisfacit hæc responsio. Omne quidem illud negotium ad facti controversias spectat quod Formosum ipsum tangit; an nempè perduellis, an perjurus, an contra leges Canonum à Portuensi Sede ad Romanam translatus. Verum hìc aliud insuper agitur: an videlicet sacræ ordinationes factæ ab homine perduelli, perjuro, contra leges Canonum ad Pontificatum evecto, irritæ sint, & ita irritæ ut qui à tali homine consecrati fuerint nova consecratione indigeant, perindê ac si numquam consecrati fuissent. Quæ res si ad fidei controversias non pertinet, nec ad illas pertinebit exsecranda hæresis in Concilio Constantiensi damnata, qua statuebatur Papam, Imperatorem, Episcopum &c. desinere esse Papam, Imperatorem, Episcopum, dum in peccatum mortale labitur. Itaque

que decretum fidei contrarium condiderunt Stephanus VII & Sergius III, & hoc quidem cum Concilio. Certè illos erroris arguere non veretur Auxilius seculi X scriptor, qui à Formoso sacris initiatus erat, & quòd ordinationem validam esse certissimè sciret, noluerat ad Sergii Synodum convenire aut novam consecrationem suscipere. Scripsit enim pro se libellum ad Dialogi formam, duobus colloquentibus, quorum unus illi *Infensor* alter *Defensor* dicitur ; sub Defensoris persona latet ipse Auxilius : illi inter alia multa, cùm objecisset Infensor adversari eum Romanæ Ecclesiæ, respondet Defensor : *Aliud sunt Pontificales Sedes, aliud Præsidentes. Proinde honor & dignitas uniuscujusque Sedis venerabiliter observanda sunt. Præsidentes autem si deviaverint, per devia sequendi non sunt.* *Lib.* 2. *cap.* 18.

SECULO XI.

SYlvester II initio hujus seculi Romanus Pontifex, fuerat prius Rhemensium Archiepiscopus, dicebaturque Gerbertus. Successerat Arnulpho Rhemensium Archiepiscopo exauctorato. At Papa Joannes XV quum Arnulphum sine nutu suo de Sede dejici non potuisse contenderet, omnes Episcopos qui in Arnulphum

nulphum sententiam tulerant sacris interdixit, Conciliumque adversus Gerbertum convocavit. Gerbertus cernens nonnullos Pontificia censura perterrefieri, scripsit gravissimam Epistolam ad Seguinum Senonensium Archiepiscopum. Multa illic de iniquitate negotii & Pontificiæ auctoritatis abusu disputat; ubi hæc inprimis verba notanda sunt: *Sit lex communis Ecclesiæ Catholicæ Evangelium, Apostoli, Prophetæ, Canones Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia consecrati; & decreta Sedis Apostolicæ ab his non discordantia.* Censet ergo quædam *Decreta Sedis Apostolicæ* ab Evangelio, Apostolis &c. *discordare* posse. Quæ porro Gerbertus tum scripsit, adeo nullo pacto oberant legitimæ auctoritati Apostolicæ Sedis, ut non impedierint quo minus ipse deinde Pontifex eligeretur. Sed nec ille Pontifex factus, quæ prius egerat aut scripserat, revocavit.

Eodem seculo floruit S. Petrus Damiani. Hujus in celebri Epistola ad Alexandrum II Pontificem, hæc sunt:
Lib. 1. Epist. 12. *Petrum planè in faciem resistens Paulus objurgat, & coram omnibus reprehensibilem judicat: quod ille non in accusationis tulit injuriam, sed benignè & patienter accepit; quod non ex livore sed ex caritate procedere perspicuè recognovit. Sed ecce, dicitur:*

Ego

Ego sum Episcopus, Ego sum Pastor Ecclesiæ: Non debeo à commissis ovibus accusationum patêre molestiis: Etenim in causa fidei dignus sum etiam in pravis moribus æquanimiter ferri. Sed dic mihi, quisquis es, numquid legisti quod in Evangelio scriptum est: Si peccaverit in te frater tuus *&c. Si Ecclesiæ ergo referenda est causa quorumlibet fratrum, quomodo non etiam sacerdotum? Porro si sacerdos qui in Ecclesia peccat, dedignatur in Ecclesia discuti, quis jam ferat Ecclesiæ se legibus coërceri?* Fateor hunc Scriptorem non agere eo loco nominatim de Romano Episcopo, sed de Episcopis generatim: verùm cùm exemplum B. Petri proferat, apparet eum Petri Successores itidem ut alios Episcopos sua disputatione attingere. Quòd autem non de controversiis tantùm ad personarum causas pertinentibus, sed etiam de *causis fidei* agat, ipse totidem verbis profitetur.

SECULO XII.

QUod hìc proferendum est exemplum, ad VIII seculum referri poterat: At cùm is qui Pontificis Decretum liberrimè rejicit XII seculo vixerit (Gratianus nempè Canonum Collector) ad hoc seculum non incommodè

adscribetur. Res ita se habet. Gregorium II Pontificem consuluerat Bonifacius Germanorum Apostolus de variis suis dubitationibus. Consuluerat autem, non ut disceret privatam Pontificis opinionem, sed
Tom. 6. Concil. Labb. Col. 1448. *Qualiter servet vel doceat . . . . Sancta Apostolica Romana Ecclesia.* Hinc & Pontifex in responsione sua planè profitetur, se nomine Apostolicæ Sedis, adeoque *ex Cathedra* loqui ; ait enim : *Beatus Petrus Apostolatûs & Episcopatûs principium exstitit: & consulenti tibi de statu Ecclesiæ , non ex nobis quasi ex nobis , sed ejus gratia qui aperit os mutorum . . . qualiter tenere debeas , Apostolici vigoris doctrinam dicimus.* Quid igitur fiet de infallibilitate, si Pontifex tam solemniter definiens erraverit? At erravit certè. Secundo enim loco inter quæsita sua , interrogabat Bonifacius : *Si mulier infirmitate correpta , non valuerit debitum viro reddere ; quid ejus faciat jugalis?* Res sanè non valdè difficilis est , si Christum audiamus. Et tamen hoc modo respondet Gregorius : *Bonum esset si sic permaneret ut abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est ; ille qui se non poterit continere , nubat magis.* Quid ad hæc autem Gratianus Decretorum Collector ? Crediditne irreformabile esse illud Gregorii Decretum ? Imo verò quamvis privatus tantùm Scriptor, hanc notam

notam ei non veretur ſubjicere : *Illud Gregorii ſacris Canonibus, imo Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ penitus reperitur adverſum.* Adeo nondum animos occupaverat opinio de Pontifice falli neſcio.

Decreti part. 2. cauſa 32. quæſt. 7. cap. 18.

SECULO XIII.

AD hoc ſeculum revocamus controverſiam de dominio Franciſcanorum : etſi enim illa in ſequenti ſeculo majores tumultus pepererit, hoc tamen ſeculo inchoata eſt ; & hoc ſeculo conditum eſt Nicolai IV Decretum quod omnium planiſſimè & acerrimè pro Franciſcanis pronunciat. Res ipſa omnibus penè nota eſt. Contendebant nempè Franciſcani, ſuam paupertatem *altiorem*, ut loquuntur, & ſeveriorem eſſe omni alia; ea re, quòd librorum etiam, ſupellectilis, veſtium, cibi ac potus, dominium ſaltem *in communi* haberent ceteri Monaſtici Ordines; Franciſcani autem, ne illud quidem ; ſed omnium rerum *uſum* tantummodo, dominio penes Pontificem remanente. Ita S. Franciſci Regulam interpretatus eſt Greg. IX; ac poſt illum alii Pontifices. Ac cùm illud diſcrimen *uſûs* & *dominii* in hujuſcemodi rebus quæ uſu abſumuntur, non ſatis ſerium quibuſdam videretur, eò pro-

progressus est ardor illorum *altissimè* pauperum, ut Christum ipsum & Apostolos illius discriminis auctores facerent, quos videlicet omni dominio etiam cibi & potus caruisse vellent. Mirum sanè Nicolaum IV ejusmodi opinionem solemni Decreto *Exiit* voluisse firmare; voluit tamen & ita decrevit: *Dicimus quòd abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum, non tam in speciali, quàm etiam in communi, propter se meritoria est & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit & exemplo firmavit: quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ prout ab ipso fonte hauserunt volentes perfectè vivere per doctrinæ & vitæ exempla in eos derivarunt.* Et, quod magis mirêris, *in aliter sentientes excommunicationis sententiam profert, à quâ per neminem, nisi per Romanum Pontificem, possint absolvi.* Hæc doctrina Franciscanis perhonorifica, ut illis quidem videbatur, atque insuper non incommoda (neque enim idcirco parciùs aut viliùs illis victitandum erat quòd cibi usum non dominium haberent) altissimè illorum mentibus insedit, & nunc etiam videtur insidere. Verumtamen Joannes XXII Franciscanis non amicus; & quem fortè tædebat illius dominii unde ad se nihil præter inane nomen rediret, longè aliud Decretum edidit,

dit, quo illud idem quod Nicolaus interposita anathematis comminatione sentire jusserat, ipse pro hæresi habet; sic enim decernit: *Assertionem hæreticam esse, pertinaciter affirmare quod Redemptori nostro prædicto ejusque Apostolis, iis quæ ipsos habuisse Scriptura Sacra testatur, nequaquam jus ipsis utendi competierit; nec illa vendendi seu donandi jus habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi.* *Extravag.* cùm inter nonnullos.

Quin eò progressum est negotium, ut Franciscani non ferentes sibi eripi illud tantopere adamatum paupertatis genus, in Pontificem insurgerent, hæreticum proclamarent, atque incitarent Cæsarem Ludovicum Bavarum, cui alia cum Pontifice diffidia erant, ut Joanni Pontificatum abrogari curaret, aut alium certè Pontificem ei objiceret: quod reipsa contigit: Curavit enim Cæsar eligi Anti-Papam ex Franciscanorum Ordine; cui nomen Petrus de Corbaria: ille autem se nominavit Nicolaum V. His rebus omnibus ita in Franciscanos excanduit Joannes, ut plures ex illis comprehensos pro hæreticis cremari jusserit. Tantus erat utrimque ardor opinionis tuendæ.

Posset hìc reponi totum illud negotium ad fidei controversias non pertinere. Id quidem non ægrè fatebor. Sed illud magis illos Pontifices erraffe evin-

cit. Si enim ad fidem pertineret, alter tantummodo eorum aberrasset: cùm autem ad fidem non pertineat, errant ambo dum opinionem incertam & ridiculam controversiam ad fidei dogmata referunt. Nec enim, ut norunt omnes, errat minùs qui fidei aliquid superaddit, quàm qui de illa aliquid detrahit.

Statera Rationum &c. per Anton. Parmentier S. T. D. Lovan. Cùm hæc scribo, ecce tibi novum libellum Lovanii editum, qui ad ejusmodi argumenta aliam responsionem dandam esse contendit. Scriptio equidem est jejuna, quæ & rerum Theologicarum imperitiâ, crassissima argumentandi ratione, Latini sermonis puerili inscitia horridaque barbarie, Auctorem prodit ab omni parte ad scribendum imparatum: ut nemo illum Doctorem Theologum esse conjiceret, si non appareret in titulo istud nomen. Itaque illius nullam sanè mentionem injecissem, nisi utile esset monere quàm assiduè lacessant adversarii; simulque cursim refellere novam quandam Pontificiæ infallibilitatis ideam quam hodie nonnulli sufficere putant, ut respondeatur plerisque argumentis ab Ecclesiastica historia petitis.

Miratur itaque Doctor iste virum quendam clarissimum hoc argumento usum adversùs Pontificiam infallibilitatem: *Quòd in Decretalibus plura Pontifi-* pag. 22.

cum Romanorum inveniantur responsa omnino infundata; quadam etiam sibi invicem contraria. At enim, si vel ullum scriptorem celebrem de hujusmodi controversiis consuluisset Doctor noster, comperisset hanc argumentandi rationem frequenter usurpatam esse; neque velut rem novam admirabundus ita narraret; *Vidi ego circiter à biennio &c.* Sed novane an vetus sit hæc argumentatio, quin eam saltem refellit? Quin docet valido aliquo argumento Decretales non esse ex iis Responsis quæ *ex Cathedra* redduntur? Fallitur enim multùm si existimat *ideam justam infallibilitatis* aut Pontificiæ Cathedræ habendam illam quæ solius *Antonii Parmentier* auctoritate munita ostentatur. Nam, si nescit, hæc ejus *idea* longè illi dissimilis est quas alii Pontificiæ infallibilitatis vindices protulerunt. Hi enim omnes de vocibus *ex Cathedra* consentiunt, de re ipsa mirum quantum dissentiant: ut vel hinc appareat nullo firmo fundamento superexstructam esse illorum doctrinam. Aliter enim Bellarminus, aliter Cellotius, aliter Christianus Lupus, aliter alii responsionem *ex Cathedra* finiunt. Jam id quidem satis est ut respondeatur Doctori nostro quoad rem hanc: cùm enim ille *ideam* suam ne vel colore quidem auctoritatis aut argu-

mentationis illustrare conetur, potest eâdem operâ rejici quâ est prolata. Nec tamen inutile fuerit hoc loco (quo à Decretalibus argumentum sumsimus) breviter refellere *ideam* illam, in qua & alii quidam horum temporum scriptores delicias faciunt; illudque ostendere, nihil minùs eam esse quàm *justam*; ac præterea eam opinioni Doctoris nostri non parum incommodi creare.

Pag. 23. *Dicendum itaque*, inquit, *Pontificis Romani infallibilitatem tantùm agnosci in casu quo ex Cathedra docens, hoc est assumpta plenitudine potestatis aliquid decidit in materia fidei aut morum, volens obligare totam Ecclesiam ad ita credendum.* Hæc scilicet est illa *idea justa* quæ penè tot ambigua habet quot vocabula. Quid illud inprimis sibi vult: *tantùm agnosci in casu &c.?* An ita *agnosci* ab Antonio Parmentier? Atqui non erat cur istud tantoperè inculcaret: nec enim de illius sententia vulgo soliciti sunt homines. Si verò ita intelligat; istud idem agnosci ab omnibus Pontificiæ infallibilitatis patronis, profectò aut fallit aut planè fallitur. Sic enim Bellarminus ferè & qui eum sequi solent. At longè aliter alii: sunt enim qui volunt insuper necessarium esse ut Decreta affixa fuerint in acie campi Floræ & aliis locis consuetis; adeo ut nonnulli

nulli existiment etiam aliquod spatium temporis requiri quo affixa esse debuerint; imò si intra illud spatium jussu Pontificis fuerint refixa & detracta, indicio illud esse, nec Cathedratica, nec Infallibilia fuisse. Quæ quidem ipsius Vasquezii opinio esse videtur. Alii rursus requirunt ut Pontifex debitè oraverit, rem ritè consideraverit, *non solus nec temerè* judicaverit. Ita Cellotius; &, si rectè memini, etiam Bagotius, duo celebres Jesuitæ. Alii omnino necessarium volunt ut cum Concilio aliquo, saltem Diœceseos Romanæ, pronunciet Pontifex. Singulorum verbis referendis supersedeo: tum quòd multis nota sint; tum quòd eorum præcipua recenseantur in libello qui multorum manibus teritur & teri dignus est, cui titulus: *Imago Pontificia dignitatis* cap. 4. Tantum igitur abest ut qui infallibilitatem istam jactant, idem sentiant, ut non minùs secum ipsi quàm cum infallibilitatis impugnatoribus dissentiant. Quod quid aliud indicat nisi nullam hactenus *ideam justam* illius doctrinæ traditam esse aut tradi posse? Nec minus ambigua sunt cetera Doctoris nostri: dum enim illud *ex Cathedra docens*, ita interpretatur; *hoc est, assumpta plenitudine potestatis*, quid aliud agit quàm ut obscurum, quod ajunt, per

obscurius exponat? Namque ut omittam illam *plenitudinem potestatis* soli Christo in Ecclesiam rectè tribui; quid, obsecro est, *plenitudinem potestatis assumere?* An illa ad integumenti morem nunc assumitur, nunc ponitur? An ad Pontificis voluntatem nunc cum comitatur potestas illa, nunc absistit?

Deinde ad *materiam fidei & morum* Pontificis infallibilitatem restringit hic Auctor. At non ita Jesuitæ Parisienses Collegii Claromontani, cùm Thesibus publicis propugnarunt, eamdem infallibilitatem Pontifici concessam esse quam Christus ipse habuit: Non ita ipse Antonius Parmentier cum duplici Scriptione Gallica infallibilitatem istam, etiam ad explicandum alicujus libri sensum protendit.

Preservatif: Second preservatif.

Denique requirit, ut Pontifex velit *obligare totam Ecclesiam ad ita credendum.* Hæc quidem clausula multis illius opinionis Scriptoribus familiaris est; & est tamen fallacissima. Nusquam enim eloquuntur censeantne opus esse, ut Pontifex disertè pronunciet hæc aut his similia: *Se velle obligare totam Ecclesiam: Se præcipere omnibus & singulis Christi fidelibus*; an verò illis sufficiat ex ipso Decreto apparere hanc Pontifici mentem esse, illumque ut de rebus ad Catholicam fidem pertinentibus pronunciare? Jam illud fateor penè ridiculè interrogari:

ri : quis enim non videat ineptum esse si conceptis verborum formulis velut alligetur Decreti alcujus indubitata veritas? Et tamen sic ineptire solent adversarii. Objice illis Honorii literas, Ecclesiæ suæ fidem exponere volentis, atque ita perorantis: *Hæc nobiscum Fraternitas vestra prædicet, sicut & nos ea vobiscum unanimiter prædicamus* : Regerent, eum *ex Cathedra* locutum non esse. Quidni? Nempè uni tantummodo Patriarchæ, non omnibus fidelibus inscriptæ sunt literæ.

Quære item à Doctore nostro cur illi tam absurdum videatur si à Decretalibus argumentum fuerit petitum adversùs Pontificis infallibilitatem, cùm tamen illic sæpè Pontifices interposita anathematis pœna quidpiam credi jubeant aut vetent? Fallor si aliud responsum daturus est, præter hoc : Decretales non universæ Ecclesiæ sed privatis Episcopis aut Presbyteris &c. inscriptas esse. Cogimur itaque adversarios ita interrogare, atque ita argumentari quasi dubium sit quo pacto sint responsuri: velintne scilicet quibusdam vocibus connexam esse infallibilitatem ; an verò sufficiat Pontificem de fidei negotio, quibuscumque tandem formulis utatur, pronunciare. Si postremum illud sufficere responderit, jam nulla causa est cur Honorii literas, cur

Gre-

Gregorii II, cur Nicolai IV, cur Joannis XXII, cur Bonifacii VIII, atque aliorum ejusmodi Decreta, Cathedratica non esse contendant: jamque immeritò negabit Doctor noster, à Decretalibus argumenta peti posse; nam illæ non nisi quoad verborum formulas diversæ sunt ab iis Decretis quæ ipse è Cathedra proficisci fatetur. Sin velint requiri ut disertis verbis Pontifex *omnes & singulos fideles* alloquatur, aut disertè enunciet se velle *obligare totam Ecclesiam*; tum verò quantum incommodi ipsi doctrinæ suæ pariant, considerent.

Primùm enim: Non eo stupore arbitror esse Antonium Parmentier, ut nesciat ejusmodi formulas familiares non fuisse Pontificibus ante hæc postrema secula. Ex quo consequitur aut omnes priorum seculorum Pontifices *justam ideam* suæ infallibilitatis non habuisse: aut illa uti noluisse cùm maximè opus esset.

2. Ex quo præterea consequitur nec Concilia, nec Patres, ejusdem rei *justam ideam* habuisse: cùm nemini in mentem venerit auctoritatem Decretorum Pontificiorum ex verbis quibus concepta erant, metiri. Itaque usque ad tempora hæc novissima, omnis Ecclesia caruerit *justâ ideâ* illius auctoritatis, à qua, si fides Romanorum assentatoribus, omnis alia

Eccle-

Ecclesiastica auctoritas ut à fonte originem ducit. Quod ut absque impietate dici nequit, ita corruat necesse est ridicula infallibilitas, quæ formulis verborum tota innititur.

3. At quod maximè premit adversarios, si ad formulas illas restringi velint infallibilitatem, jam planè corruunt pauca illa argumenta quæ à Patribus petere solent. Ubi enim illud tantoperè adamatum totiesque repulsum : *Causa finita est ?* Certè Innocentii I Decretum, de quo illic mentionem injicit Augustinus, *non omnibus & singulis Christi fidelibus*, sed Africanis Episcopis mittebatur : atque adeo, si formulis inhœrendum est, Cathedraticum non erat ; proindeque nihil ad causam faciet Augustini testimonium. Eadem ratione illud S. Hieronymi ad Damasum de tribus hypostasibus interrogantis, ac velut à Damasi responsione pendentis, nihil ad causam faciet : non enim Decretum ad omnes & singulos Christi fideles, sed privatas ad se literas Hieronymus flagitabat. Rursum cum de S. Leonis celeberrima Epistola, laudibusque ei tributis, & ea voce, *Petrus per Leonem locutus est*, different, extra causam loquentur : nec enim ea ad omnes Christianos sed ad solum Flavianum scripta erat. Qua igitur fronte ii qui Hono-

rii

rii literas idcirco Cathedraticos esse negant quod ad solum Sergium Patriarcham scriptæ sint, argumentum petere audebunt à S. Leonis literis quæ ad solum Flavianum Patriarcham scriptæ erant? Aut igitur sua illa quotidiana argumenta abjiciant; aut aliquando fateantur non ex titulo aut conceptis formulis, Decretorum auctoritatem æstimandam esse.

Hæc quamvis breviter ac per transennam tantùm notata, satis, ut opinor, declarant quàm fragilis sit & ruinoso fundamento superexstructa doctrina adversariorum, cùm post tot literaria prælia, necdum inter eos constet quænam Pontificum Decreta Cathedratica & infallibilia censeri debeant. Atque illud præterea, aut nullo loco habendas esse eas voces *Ex Cathedra*: aut si aliquid significant, Pontificem certè & quemcumque alium Episcopum *Ex Cathedra* sua pronunciare, cùm de rebus ad fidem pertinentibus decernit ac docet, quibuscumque tandem verbis sanctiones conceptæ sint. Rectè igitur ex quibuslibet Pontificum Decretis, ubi de fide agitur, argumenta peti possunt adversùs illorum infallibilitatem; sive illa *Brevia* sint, seu *Bullæ plumbeæ*, seu *Literæ ad universos Christi fideles*, seu *Decretales*, seu quocumque tandem nomine censeantur. Quin illud verè

verè dici poteſt (quamlibet id mirum videatur Antonio Parmentier) non aliundè validiora argumenta quàm à Decretalibus peti. Si enim excipias has voces, *omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus*, nuſquam plures & magis ambitioſæ verborum formulæ occurrent quàm in Decretalibus. Paſſim enim *anathema*, *excommunicatio*, *hæreſis*, ſimileſque voces illic à decernentibus Pontificibus uſurpantur. Adde quòd & ipſis Pontificibus mens fuerit ſummam auctoritatem Decretalibus attribuere, cùm eas in unum colligentes, veluti totidem Chriſtianorum leges ſuo Codici Eccleſiaſtico inſeri voluerint. Eat igitur Doctor noſter, quæratque *ideas* paulò *juſtiores*. Lectoris interim animum non offendet, ut arbitror, hæc veluti excurſio: quæ & argumenta noſtra firmare & adverſariis evaſiones præcludere poſſit.

Diſſertatio de præſenti hæreſi &c.

Vix hæc ſcripſeram, cùm opportunè ad rem iſtam proſilit alius libellus à P. Philippo Wavrio Ordinis Eremitarum S. Aug. editus: qui equidem quoad argumentorum robur nihilo prioribus felicior, quoad improperia nihilò mitior eſt; ſed habet tamen quædam huc pertinentia; quibus apertiùs & candidiùs iſtis ſuam *Cathedram* exponit; *ideamque* infallibilitatis aliam profert. Quocirca ſupervacuum non

non erit, illa occasione alteram hìc, sed brevem, excursionem facere.

Is itaque sentiens quàm absona sit illorum opinio, qui volunt definitionem Pontificiam, ut Cathedratica censeatur, inscribi debere *omnibus Christi fidelibus*, quò videlicet doceat universam Ecclesiam, commentum illud rejicit, etsi admodum modestè ne istos sat potentes offendat.
Cap. 5. Art. 3. *Sanè*, inquit, *mirum videretur, quòd privilegium S. Petro datum pro confirmandis Fratribus in fide, non nisi ad omnes simul confirmandos pertineret, non autem ad unam partem orbis V. G. Africam vel Europam; ac si omnes simul docens infallibilis esset, docens verò partem orbis, esset fallibilis.* Qua-
Cap. 4. Art. 3. propter, ut jam dixerat, *quando Papa dogma aliquod pro haeretico habendum sub anathemate praecipit, indirectè hoc ad omnem sub coelo Ecclesiam pertinet in actu primo*, Ubi tamen ne quidem illud requirere Wavrium arbitror velut omnino necessarium, ut voces ille *haereseos* vel *anathematis* disertè usurpentur, cùm ipse timidè quidem fateatur, sed fateatur tamen, Honorii Literas Cathedraticas fuisse, in quibus voces illae non occurrunt.

Rectè haec (ut mihi quidem videtur) Wavrius, si solam *Cathedrae* notionem attendas. Quin si id omnibus infallibilitatis patronis probaretur, jam non toties utrim-

utrimque supervacuè litigaretur, sed compendiaria ad veritatem via pateret. Verùm nunc ille consideret, quænam ex illius opinione consequantur.

1. Hæc quidem Cathedræ idea Wavrio probatur, & fortè etiam sex illius Approbatoribus. Sed ideam illam quam rejicit Wavrius, ut perpetuum adversus errantium Pontificum exempla perfugium, amplectitur Bellarminus, & qui eum magno numero sequuntur; in quibus & Mechliniensis declamator & Doctor Parmentier de quorum libellis verba fecimus. Alii ab utrisque dissentiunt. Ex quo novum robur acquirit argumentum desumtum à dissidio domestico illorum qui infallibilitatis ideam tradere contendunt.

Conatur quidem respondere Wavrius ad istud argumentum, quod & in aliis nuperis scriptionibus usurpatum fuerat; sed, ut in mala causa necesse est, infeliciter. Dicit enim dissidium illud non versari circa infallibilitatem ipsam, sed circa modum quo Pontifex sit infallibilis: quæstiones verò quæ ad rei modum tantum pertinent, non impedire quo minus de re ipsa consentiant; quam responsionem tribus exemplis talium controversiarum confirmat. *Ibid.*

Fa-

Fatendum sanè id in nonnullis controversiis evenire : sed fatendum vicissim multas esse rursum controversias in quibus rei modus ad ipsam rei essentiam pertinet. Exempla obvia sunt. Calvinistæ quidam ita controversiam de Eucharistia cum Catholicis (& impensius etiam cum Lutheranis) componere studuerunt, ut dicerent credendum quidem Christum illic verè, realiter, imò substantialiter præsentem esse; at liberum esse & à fide alienum, quo modo id fieret disputare, præsentiâ corporeâ, an per fidem tantùm. Nec tamen consenserunt Catholici aut Lutherani quæstionem illam de modo rei ad rem ipsam nihil facere.

Rursum ipsi Calviniani eodem more Socinianos & Remonstrantes repellunt. Hi enim fatentur credendum esse Jesum esse Dei Filium; sed quo modo sit, an naturâ, an per adoptionem, an per solam conceptionem de Spiritu Sancto, id verò negant ad fidei fundamenta pertinere. Nec tamen callida istorum hæreticorum responsio Catholicis, Lutheranis aut Calvinianis satisfecit. Quin ad istum Episcopii, nominatissimi inter Remonstrantes Scriptoris, cavillum pro meritis excandescens eruditus Calvinista Jurius, ita exclamat: *At ô vos cæcos! Nullane igitur sunt fidei capita, in quibus rei modus nihilo-*

Tableau du Socinian. Lett. IV.

nihilominus quàm res ipsa necessariò credendus est? Quod deinde vel ipsis Remonstrantibus fatendum esse, planum facit.

Atque ut argumento *ad hominem* utar, ipse Wavrius frequenter laudandis conatibus impugnavit hanc Jesuitarum calliditatem, controversiam Ecclesiæ cum Pelagianis, circa Gratiæ necessitatem unicè versatam fuisse; non verò circa modum quo Gratia in humanas voluntates operaretur. Quibus ille ex Augustino ostendebat, modum istius operationis ad ipsum causæ cardinem pertinere.

Cùm igitur negari nequeat rei modum sæpè à rei essentia separari non posse, superest an non id locum habeat in hac causa. Quod quidem planè existimo. Adeo enim iste modus ad ipsam infallibilitatis existentiam pertinet, ut nullum fortasse ab Ecclesia condita Decretum Pontificium editum sit, quod ex consensu omnium infallibilitatis patronorum, si suæ quisque opinioni inhærere velit, infallibile censendum sit. De singulis Decretis id ostendere, res esset magni voluminis: Sed tamen vel hoc solo argumento ostendi posse arbitror: Ante novissima secula vix ullum occurrit Decretum Pontificium ad omnes Catholicos scriptum; itaque illa omnia fallibilia habenda sunt ex sententia eorum qui requirunt

ut

ut disertè loquatur ad universos fideles. At his novissimis seculis, frequenter quidem illa formula usi sunt Pontifices, sed vix ullum istorum cum universo Cardinalium Collegio, aut Synodo suæ Diœceseos condiderunt; quo pacto igitur infallibilia erunt, ex sententia eorum qui infallibilitatis Cathedram constituunt non in solo Pontifice, sed in Pontifice aut cum cœtu Cardinalium suorum, aut cum Clero Romano pronunciante? Et quid si præterea quodque Decretum exigatur ad conditiones quas alii insuper requirunt? Ex his consequitur non tam ad modum quàm ad rem ipsam Scriptorum istorum diffidia pertinere. Cùm enim extra Cathedratica Decreta nullam Pontifici infallibilitatem inesse omnes fateantur, qui de Cathedra illa dissentit, de ipsa infallibilitate dissentit.

2. Ut rationi magis consentanea est opinio Wavrii, ita illud habet molestum quòd argumentis magis quàm alia premi & opprimi possit. Isti enim qui Decreta ad universam Ecclesiam dirigi debere volunt, hac sua recenter excogitata Cathedra respondent multis argumentis e Traditione petitis. At ubi semel convenit Pontificem ex Cathedra loqui, quotiescumque in fidei negotiis aliquid decernit; jam fit multo faciliùs ex Patrum
&

& Conciliorum testimoniis planum facere, Pontifices sic loquentes errare posse.

3. Fit item facillimum, hac hypothesi admissa, exemplis evincere Pontifices ex Cathedra docentes reipsa errasse. Itaque rogo P. Wavrium ut hypothesi suæ inhærens, perpendat testimonia & exempla quæ hic breviter commemorata sunt: ac dein sibi persuadeat, id quod est verissimum, non esse nisi exiguam partem eorum quæ partim proferri, partim ulterius protendi possint: atque eadem bona fide qua in Honorii causa usus est, statuat an non assiduè illic occurrant Decreta Cathedratica in quibus Pontifices aut errarunt aut certè vel errasse vel errare potuisse judicati sunt.

4. Quin vel ex solo Honorii exemplo, in quo rei veritatem partim agnoscit Wavrius, partim alia rursum responsione eam implicare conatur, perspiciat tandem quàm ruinosa sit illa infallibilitatis Cathedra. Profert ipse quatuor ad illud exemplum responsiones: (præcipuam tamen Bellarmini responsionem de non *intellectis Honorii Epistolis*, omittit; fortè quòd eam incommodam sentiret alteri suæ opinioni de infallibilitate in explicando cujuscumque libri sensu): Ex illis responsionibus fatetur tres sibi non placere: illam ergo quæ superest eum amplecti cen-

sendum est, quamvis nec istud disertè edicat. Hæc verò illa est qua dicitur, *Honorium in dogmate non errasse, neque sensisse cum Sergio; sed in modo agendi, non satis fortiter resistendo, & concedendo ut à verbis abstineretur per quæ hæresis magis erat discernenda à Catholico dogmate.* Miror enimvero non sensisse Wavrium, hìc sibi totidem verbis responderi posse quibus ille proximo Articulo Bellarmino & Desirantio responderat. Etsi enim daretur veram eam esse responsionem, illud semper manet, aliter judicasse Concilia VI, VII, VIII, ac damnasse Honorii Literas tamquam *sequentes doctrinas hæreticorum, alienas ab Apostolicis dogmatibus* &c. quin unis iisdemque vocibus damnasse Literas Sergii & Literas Honorii: ipsius verò Honorii nomen promiscuè inter nomina aliorum Monothelitarum Pyrrhi, Pauli, Sergii, Cyri, recitasse & pariter damnasse. Manet ergo, tria œcumenica Concilia judicasse Literas Honorii hæreticas esse: manet ex confessione P. Wavrii eas literas Cathedraticas fuisse. Vincat ergo eum veritas, & fateatur solo Honorii exemplo corruere infallibilitatem. Sed excursionum satis sit. Nunc seculorum ordinem percurrere pergamus.

Cap. 5. Art. 3.

Action. XIII Concilii VI.

S E-

SECULO XIV.

QUamquam hoc ſeculo celebris fuerit controverſia de doctrina Joannis XXII circa ſtatum juſtorum mortuorum uſque ad ſupremi judicii diem, illam tamen hic præteribimus: tum quod jam vulgo nota ſit; tum quod ad ſeculum XIII argumentum jam petitum ſit ab alio Joannis XXII Decreto.

Aliud hoc ſeculo, nec ita paſſim notum, Pontificis teſtimonium reperitur: videlicet Gregorii XI Teſtamentum, quod ex MS. Codice edidit celeberrimus Lucas Dacherius, Ordinis Benedictini non minimum decus. Illic ita loquitur Pontifex: *Item volumus, dicimus, & proteſtamur, quòd ſi in conſiſtorio,* IN CONCILIO, *vel in ſermonibus, vel in collationibus publicis vel privatis . . . . dixerimus erronea contra Catholicam fidem, quam coram Deo & hominibus, ut tenemur, præ cæteris profitemur, colimus & colere cupimus; ſeu forſitan adhærendo opinionibus contrariis fidei Catholicæ; ſcienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter; aut dando favorem aliquibus contra Catholicam Religionem obloquentibus; illa expreſsè & ſpecialiter revocamus, deteſtamur, & haberi volumus pro non dictis.* Ubi palam eſt Pon-

Tom. 6. Spicilegii.

tificem non dubitare quin fieri potuerit ut *adhæserit opinionibus contrariis fidei Catholicæ*; easque promserit non modò in privatis collationibus, sed & *in Concilio*; atqui si usquam, certè in Concilio *ex Cathedra* loquitur.

Hìc illud præterea notare liceat, quantùm illæ tam humiles voces moribundi Pontificis diversæ sint ab istis *Literis* solo nomine *Apostolicis*; quibus feralis schismatis signum quodammodo erigitur adversùs eos Episcopos, quorum ætatem, doctrinam, pietatem, aliasque insignes dotes ipsi nonnumquam adversarii commemorant: qui tamen etsi probè sentirent quanta vulnera Catholicæ fidei infligeret Constitutio *Unigenitus*, non postulaverant ut eam Constitutionem Pontifex *revocaret* & *detestaretur* (quod sanè facturus erat Gregorius XI si quod ei tale Decretum extortum fuisset) sed illud saltem, ut dilucida expositione earum opinionum quas damnare vellet, pacaret animos tot Episcoporum, Pastorum, Academiarum, Capitulorum, Religiosorum, ac Laïcorum: quibus illa Constitutio pepererat summum dolorem, summum timorem ne ipsa Religionis Christianæ elementa illic damnata essent, & ab se etiam damnari juberentur: quem heu! timorem justum fuisse nihil magis con-

confirmat, quàm ipsa illa asperitas omnis expositionis spem auferens, & summo fastu despiciens tot illustres viros tam diu supplices; qui summam in Pontificem reverentiam, penè cum dispendio veritatis, semper professi fuerant.

SECULO XV.

QUatuordecim priora Ecclesiæ secula, quibus Ecclesiæ Gallicanæ doctrinam incognitam fuisse Mechliniensium Præsul affirmaverat, emensi sumus: poteramusque proinde de insequentibus seculis silere; quibus multos illius doctrinæ vindices fuisse, nec ipsi adversarii negant. Visum est tamen ad secula illa aliquid superaddere: ad singula nempe, considerationes quasdam quæ doctrinæ Gallicanæ etiam his seculis perseverantem firmitudinem, paucis verbis commonstrare queant.

Ut itaque ad seculum XV progrediamur, non hìc proferri tantùm possunt privati scriptores, iique inter sui ævi præcipuos, recensendi, nempe Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, Joannes Gerson, Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, de quorum sententia nemo istarum rerum non planè ignarus dubitat: sed universum Basileense Conci-

lium. Illud enim in Epistola Synodica, quæ Sess. 3 lecta & probata fuit, ita scribit: *Si Concilium errare possit*; CUM CERTUM SIT PAPAM ERRARE POSSE; *tunc & Papa & reliquo toto corpore errantibus, tota erraret Ecclesia, quòd esse non potest. Experientia etiam demonstrat: quia sæpè experti sumus & legimus, Papam, licèt caput & principalem partem, errasse; reliquum autem corpus, Papa errante, errasse numquam legimus. Propterea reliquum sæpè totum corpus condemnavit aut excommunicavit aut deposuit Papam, tam ratione fidei quàm morum.* Scio tantùm abesse ut adversarii Concilium illud pro œcumenico habeant, ut potius cum Bellarmino suo passim omnibus probris onerent. At quàm sine idonea ratione ista dicant, affatim demonstratum à viro summo Antonio Arnaldo: Legi potest Parte Secunda hujus Dissertationis.

Verùm etsi daretur tantisper, non fuisse generale Concilium, vix inde aliquod robur amittet testimonium ejus. Namque Eugenius IV qui Concilium dissolvere se posse in animum induxerat, Bullam edidit quâ suas in ea re molitiones irritas esse ipse jubet, ac profitetur Concilium Basileense ab initio ad illud usque tempus fuisse & esse legitimum. Ea Bulla condita est circa tempora Sessionis

14,

74, & lecta ac probata est Sessione 16. Porro, ut jam diximus, Epistola Synodica Concilii lecta & probata fuerat Sessione 3, atque adeo dubium esse nequit quin & illam Eugenius probaverit suo Decreto. Si itaque errarunt sic docentes Basileenses Patres, erravit & ipse Eugenius eorum gesta confirmans. Neque ullo colore dici potest eum *ex Cathedra* locutum non esse: quandonam enim apertius universam Ecclesiam docet, quàm ubi Concilium aliquod à plurimis pro generali habitum aut comprobat aut rejicit?

Quin si & Concilii & Eugenii auctoritas seponi posset, quantum tamen pondus haberet testimonium tot Cardinalium, Episcoporum, & celeberrimorum undique Doctorum, quibus Synodus illa constabat; qui non velut incertam opinionem, sed ut communem omnium doctrinam tradunt, *certum esse . . . Papam, licèt caput & principalem partem, errare posse!* Non ita sanè loquuntur qui novas opiniones introducere moliuntur. Nec ipsorum hæreticorum impudentia eò progressa est, ut dicere auderent doctrinam suam in Ecclesia Catholica certam haberi. Vix enim illa non hæreticorum, sed stultorum esset. Quoties Lutherus & Calvinus aliique ex istis fassi sunt, nemi-

nem ante se iis temporibus Protestantium dogmata tradidisse, sed *se discessionem ab orbe terrarum fecisse*! Tantum aberat ut dogmata sua passim certa haberi jactarent. Quantò minus tot viri orthodoxi, dignitate aliisque dotibus insignes, tam stultè in re omnibus aperta mentiri auderent, & publicam infamiam sibi consciscere! Sed ultra progredi juvat. Fac ita insanisse Basileenses ut *certum* dicere auderent, quod ante 30 annos nemini Catholico in mentem venerat, ut vult Mechliniensis Archiepiscopus. An & Eugenio, & Concilio Florentino quod ille Basileensi opposuit, sic in Basileensium gratiam libuit insanire, ut hunc illorum tantum errorem, tam dementem impudentiam dissimulaverint; & sic dissimulaverint, ut Florentini Patres in amplificandis Papæ honoribus studiosè versantes, coacervantes quidquid uspiam magnificarum appellationum & titulorum reperirent, idque in unam quasi periodum ambitiosè redigentes, nusquam tamen disertè edixerint Pontificem errare non posse? Profectò illud adversariorum talibus temporibus silentium, confessionis locum habere potest.

Post tam ineluctabile argumentum, non tantùm privatos hujus seculi scriptores proferre, supervacuum, ut jam diximus,

mus, videri posset; sed nec ipsa Academiarum testimonia sigillatim proferre necesse est. Suffecerit indicasse, hoc eodem seculo, Parisiensem, Coloniensem, Lovaniensem, Viennensem, Cracoviensem, Herfordiensem, aliasque Germaniæ Academias, apertè professas esse se ut rem indubitatam habere, Pontificem errare posse. Illarum testimonia, pridem ab eruditissimo Launoio in Epistolis collecta, rursum relata sunt eleganti Opusculo, ad quod Lovaniensium Magistrorum responsio hactenus desideratur; sed nempè facilius est *iteratam Declarationem* edere, quàm argumentis respondere.

Antiq. Facult. Lovan. Disc. cap. 3. § 3. n. 4.

His aliisque argumentis adducti viri Ecclesiasticæ Traditionis scientia paulo magis imbuti quàm Mechliniensis Archiepiscopus, existimant circa ipsa Basileensis Concilii tempora primùm natam esse opinionem de infallibilitate Pontificia. Nec tamen illud ausim planè affirmare. Sufficit ostendisse hoc seculo vix aliquem dubitasse quin Pontifices in fide, itidem ut in aliis rebus, errare possent.

SECULO XVI.

QUamquam hoc seculo adolescere &, ut Casuistæ loquuntur, *maturescere* inciperet opinio de Pontificis infallibilitate, adhuc tamen sub initia illius, doctissimi quique Theologi eam rejiciebant. In his esse numerandos Joannem Majorem & Jacobum Almaïnum Parisienses Theologos nemo paulò peritior ignorat.

Sed maximi ponderis est in hac re auctoritas Adriani Florentii de Trajecto Doctoris Lovaniensis qui sententiam illam in suis Commentariis in Magistrum Sententiarum manifestè impugnavit; quòd deinde opus postquam factus est Romanus Pontifex Adrianus VI, tacitè comprobavit, cùm sub ejus oculis Romæ excusum est. Atque idcirco ejus testimonium solitis cavillis contorquere nunc student adversarii; quasi locutus non sit de Pontifice *ex Cathedra* pronunciante: etenim, ut recenter ait Antonius Parmentier, *Aliàs vir certè doctus insulsissimè processisset arguendo Pontificis fallibilitatem ex responsis in Decretales relatis; cùm consentiant omnes quòd, etsi in illis invenirentur errores, id fieret salva infallibilitate.* Scilicet homini salibus & leporibus pleno

In 4. Sentent. de Ministro confirmat.

Statera & pag. 28. & 29.

insul-

insulsissimum videtur argumentum quod à sua argumentandi ratione distat. Dabit tamen veniam si propter eas causas quas ad seculum XIII retulimus, neglecto fastidio Antonii Parmentier, Adrianum rectissimè argumentatum credamus; easque Doctoris nostri voces, *cùm consentiant omnes*, in mendaciorum aut inscitiarum numerum referamus. Sed rectè-ne an secus argumentatus sit Adrianus, parum ad rem facit: de ejus enim opinione agitur. Porro illum de quocumque Pontificis Decreto loqui, ad oculum patet vel ex solis hisce ejus vocibus: *Non tamen dico Gregorium hìc errare, sed evacuare intendo impossibilitatem errandi, quam alii asserunt.* Unde manifestè consequitur eum de Cathedraticis etiam Decretis loqui; cùm eam *impossibilitatem errandi* rejiciat *quam alii asserunt.*

Nec mirum sanè ita sensisse Adrianum: erat enim in Academia Lovaniensi doctrina Theologica institutus: in quam Academiam nondum irrepserat infallibilitatis doctrina, sed illæsa perstabat doctrina contraria, quam sub initia sua, hoc est temporibus Basileensis Concilii indubitatam Lovanii habitam fuisse tam manifestum est ex Ænea Sylvio, ut rem fateri coactus fuerit ipse Steyartius, & eo quidem loco quo maximè laborabat ut infal- *Positiones de Pontif.*

libilitatis vindicem semper fuisse Lovaniensem Facultatem ostenderet.

Illæsa, inquam, adhuc ibi perstabat doctrina contraria Adriani ætate: quin argumenta non contemnenda profert eruditus Auctor opusculi supra commemorati, quibus suadere nititur, integro & amplius seculo eam illæsam Lovanii perstitisse; primumque adeo in iis rebus illic innovasse Ruardum Tapperum, eumdem scilicet qui & Pelagianorum reliquias, Fausti Rhegiensis libros & doctrinam, primus ibi commendare ausus est. Quo magis mirari fas est ejusdem Antonii Parmentier vel summam imperitiam vel impudentiam, qui cùm ista sub oculis ejus scribuntur, iis tamen silentio prætermissis, pergit audacter occinere: *Romani Pontificis infallibilitas inter Lovanienses numquam fuit controversa. Quin econtra tot tamque nobiles authores qui ex Facultate Theologica Lovanii prodierunt, de ista materia tractantes pro infallibilitate Romani Pontificis sine hæsitatione tenuerunt.*

Antiq. Facult. Lovan. Disc. cap. 3. §. 1. 2. 3. 4. 5.

Statera &c. pag. 25.

Possem equidem & alios hujus seculi scriptores in eamdem rem referre, ut Adrianum Galterum, Joannem Arboreum, Franciscum à Victoria, Alphonsum de Castro. Ast fatendum tamen, adversam sententiam hoc seculo paulatim ita crevisse, ut sub illius exitum jam patrono-

tronorum numero alteram longè ſuperaret. Nec tamen hinc tantoperè adverſariis gloriandum puto : nam prætcrquam quòd ſeculis præcedentibus vix ullum ſecum ſentientem habuerint, facile eſt cauſas indicare iſtius incrementi.

Harum prima ſit, exorta hoc ſeculo undique hæreſum colluvies ; quæ omnes quamvis quoad alia dogmata diſſimillimæ, in hoc tamen conſentiunt Romanam Sedem eſſe illam Babylonem Apocalypticam & Antichriſti thronum. Quas cùm viri boni ſummo ardore impugnarent, cernerentque quanto in honore apud Catholicos ſemper fuiſſet Prima illa & Apoſtolica Sedes, facilè evenit ut in illius dignitate aſſerenda diverſo vitio veri limites multi exceſſerint. Atque hoc æſtu ſub hujus ſeculi exitum & in ſequentis initia, viros ceteroquin doctos Baronium, Bellarminum, Janſenium Iprenſem, abreptos fuiſſe, exiſtimari æquum eſt. Quorum quòd magna fuit apud Catholicos auctoritas, multos ſecum in eamdem ſententiam pertraxerunt.

2. Quicumque humanum ingenium, tempori & potentioribus facilè ſerviens, paulò penitius noverit, non mirabitur opinionem quæ Romani Pontificis poteſtati tam favet, ubi ſemel prolata eſt, brevi tempore vulgarem factam eſſe. Id

jam suo tempore fieri cœptum, appositè & pro more suo scapham, scapham vocans Joannes Major, ita queritur: *Quòd plures Pontificem extollant quàm Concilium, non miraberis. Concilium rarò congregatur, nec dat dignitates Ecclesiasticas. Papa dat eas. Hinc ei homines blandiuntur: dicentes quòd solus potest omnia quadrare rotunda & rotundare quadrata, tam in spiritualibus quàm in temporalibus.*

Lib. de auctor. Eccles.

3. Fatendum, plus æquo Scholasticis Theologis operam dedisse plerosque istius seculi scriptores, nec in Patrum voluminibus multùm fuisse versatos. Scholastici autem, etsi non omnes infallibilitatem Pontificis tueantur, tamen ex suorum temporum moribus rei veritatem frequenter æstimantes, solent illius potestati plus æquo tribuere. Quin apud eruditos compertum est in S. Thomæ Summa & Catena occurrere quoad rem hanc non pauca adulterina Patrum dicta, sive ex libris subdititiis, sive memoriæ vitio, sive aliena fraude.

4. Nonnullos etiam in errorem traxerunt spuriæ illæ Isidori Mercatoris sub primorum Pontificum nomine Decretales Literæ: cùm & ultra modum auctoritatem Pontificiam extollant, & primorum seculorum venerandæ reliquiæ esse vulgo putarentur.

5. Mo-

5. Monachos Mendicantes Romanæ Aulæ privilegiorum suorum vinculo aliisque nexibus obstrictos esse vulgo notum est. Hi autem quantum apud imperitam plebem libellis & concionibus possint, multis experimentis constat.

6. At nihil fortasse tantum promovit infallibilitatem, quantum hoc seculo nata Jesuitarum Societas. Hi cùm & singulari voto, & titulis quibusdam non admodum Apostolicis, eidem Aulæ se addixerint, jamque nova sua Morali & præ Evangelica illa mirum quantum flexili, magnam sibi apud plerosque Catholicos Principes gratiam comparaverint, omnibusque passim si non sui amorem, terrorem certè impotenti dominandi libidine impresserint; ac denique magnam apud imperitos eruditionis famam sibi consciverint sua illa scriptorum copia; quorum etsi plerique pudendis erroribus scateant, seque mutuo ut grus gruem sequantur, quidam tamen (quod in tanto numero mirabile non est) verè eruditi sunt: Hæc, inquam, omnia cùm Jesuitis adsint, facilè his armis infallibilitatis doctrinam multùm propagarunt.

7. Quosdam etiam ex iis quorum eruditionem & opiniones formidabant Romani, Cardinalitiæ purpuræ fulgore ceperunt. Atque idcirco exigui ponderis

in hac re esse debet Perronii, Richelii, Rupefulcaldii, virorum politicorum, auctoritas; quam tamen jactant nonnulli, & in his iterum noster Antonius Parmentier. Nam ut scitè & verè dictum est:

Grotius. *Auctoramentum non est leve purpura. Pridem Pontifices verum non didicere pati.*

Quo magis collaudanda hodie est eximia virtus Eminentissimi Cardinalis Noallii, qui quamvis & eo titulo & innato Catholicis erga Apostolicam Sedem obsequio, timeretur Constitutioni *Unigenitus* colla submissurus, feliciter hunc multorum timorem fefellit, omnibusque titulis fidem & veritatem potiorem habuit.

8. Denique Pontificibus servit triste illud Inquisitionis Tribunal jam multis locis receptum. Cujus tantus terror est, tanta apud imperitos opinio, ut & in Episcopos (quis rem indignissimam sine gemitu commemoret!) tyrannicam potestatem exerceat. Paucissimi anni abierunt, ex quo mirante Europa, Hispaniensis Episcopus solius Inquisitionis auctoritate damnatus, Romam captivus abductus est. Quis dein miretur privatos homines nihil illic dictis aut scriptis audere quod Pontifici vel Inquisitoribus nonnihil displiceat; simulque cum liber-

tate

tate sentiendi interire iis locis Traditionis, Historiæ, omniumque literarum amorem ?

Hæ profecto tot tantæque causæ si corde sincero expendantur, non sinunt mirari cur postremis hisce temporibus tantùm progressa sit infallibilitatis doctrina. Quin miremur potius inter tot adversa Deum promissorum memorem tot veritati patronos adversus tam periculosum errorem conservasse. In quibus, priusquam ad aliud seculum progrediamur, commemorandus est celeberrimus ille Michaël Baius; quo viro (quidquid sit de illius seu veris seu fictitiis erroribus) *Nihil doctius, nihil humilius* fuisse, ipsi ejus adversarii agnoverunt.

Is porro quid de infallibilitate sentiret satis indicat, quamquam timidè ut rerum ejus conditio ferebat, gemina scriptiuncula ad Laurentium Westerhoven.

Card. Tolletus Jesuita, & Ant. Possevinus itidem Jesuita. Vide *Operum Baii part.* 1. *pag* 481. *& seqq.*

SECULO XVII.

Is quæ jam recensuimus armis latè vagata infallibilitas, hoc seculo altas radices egit apud Italos, Hispanos, Germanosque: nec tamen tam facilè credendum adversariis jactantibus omnes omnino istarum gentium Episcopos & Scriptores ita sentire. Plerique de ista controversia

troversia vix audiunt: alii si quid bene sentiunt, proferre non audent, terrore Romanorum, Jesuitarum, aut Inquisitionis. Ingentem sibi aliisque Collegis suis tempestatem peperit circa annum 1650, celebris apud Germanos Capucinus P. Valerianus Magnus, quòd in collatione cum Crocio aliisque Lutheranis, infallibilitatem non negaverat quidem, sed tamen quòd ad fidei capita non pertineret, noluerat de illa litem moveri. Mox in illum libellis & intolerandis calumniis insurrexerunt Jesuitæ: quos cùm ille aliquantò acriùs repelleret, non quieverunt eorum odia, donec bonum Capucinum in carcerem conjici curaverint, unde an aliquando emerserit nescio.

Vide Apolog. Valeriani.

Si hæc apud Germanos geruntur ubi saltem Inquisitionis Tribunal locum non habet, quid, obsecro, in Italia, quid in Hispaniis fieret? Et tamen etiam in Germania unus & alter controversiarum Scriptor hoc seculo prodierunt, qui infallibilitatem non suscipiunt. At quòd eorum operum copia non est, voces ipsas referre nequeo. Quòd si etiam Thomam Anglum & Franciscum Davensportum proferrem, non aberrarem à vero: quod enim una manu Pontifici largiri videntur, mox altera resumunt. Sed quoniam fervente controversia aliqua, quid

de

de hac sentiant pauci Scriptores iique non valdè clari, parum referre existimo, non lubet in eorum dictis excutiendis diu morari.

Quapropter suffecerit proferre universam Ecclesiam Gallicanam (sic enim loqui licet, cùm nonnisi pauci & ignobiles illic reluctati sint) quæ quantum hoc seculo omnigena eruditione super alias Ecclesias eminuerit, nec ipsi adversarii ignorare possunt, aut negare audent. Illius sententiam cum summo plausu, ac nullo clarè reluctante annis 1663 & 1664 professa est Facultas Parisiensis, ac anno 1682 grandis cœtus Cleri Gallicani, cujus ingenium & animus erat celeberrimus Bossuetus Condomensium primùm mox Meldensium Episcopus, felix Religionis Catholicæ adversus quoscumque hostes per tot annos assertor. Decreta ista notiora sunt quàm ut ipsa verba hìc adscribi debeant.

Quid nunc referam illam clarorum virorum turbam, qui eo seculo suam Galliam exquisitissimis operibus illustrarunt; quique eam infallibilitatem quam sua auctoritate Episcopi & Facultates, Pastores, Regiique Senatus rejiciebant, universæ Traditionis mole & Ecclesiasticæ Historiæ luce ab omni parte expugnarunt?

Quis

Quis nescit doctrinam ac libros Richerii, Petri de Marca, Launoii, Arnaldi, Bossueti, Dupinii, Flori? Aut qua parte istis comparari possunt obscuri aliquot Gallicani Scriptores, quos infallibilitatis patronos jactare solent adversarii? Unum excipio Cardinalem Perronium virum doctissimum: sed de illo hoc dicere liceat, fuisse virum politicis negotiis valdè implicitum; è cujus dicto aliquo aut facto non statim ejus sententia æstimanda est. Norunt Jesuitæ quantum illos jussu Regis sui juverit Perronius in negotio de Auxiliis componendo: sed simul ex *Historia Congregationis de Auxiliis*, nosse possunt, quantùm fallerentur istorum temporum Jesuitæ, cùm ex ea re credidissent secum quoad Gratiæ controversias sentire Perronium.

M. Fleury.

Fuit autem hæc Ecclesiæ Gallicanæ, tam constans & perpetua doctrina, ut ipsis adversariis passim vocitetur *doctrina Gallorum*, *Libertates Gallicanæ*. Et tamen jam sæpiùs commemoratus Antonius Parmentier, ipsum illud fateri detrectat, ac putidissimis cavillis voculas quasdam officiosas & urbaniores quibus sæpè pro rerum conditione aut veritas aut reverentia uti juberet, detorquet ad infallibilitatis doctrinam; idque tam insulsè

ſulsè, ut & ipſum Illuſtriſſimum Boſſuetum (cujus dictum aliâ cauſâ referri in *Tract. de Schiſmate* non ſenſit) proferre audeat ut infallibilitatis aſſertorem, in ipſis illis Comitiis anni 1682 quibus errori iſti Lethale vulnus inflixit. SS. Bernardum, Bonaventuram, Alexandrum Alenſem, Albertum Magnum, Hugonem Victorinum, tamquam certiſſimos infallibilitatis vindices recitat, nulla ipſorum voce relata. Quos quidem ita ſenſiſſe, fidem non faciet auctoritas noſtri Doctoris. Si quid tale dicere videtur S. Bernardus, non de ſolo Pontifice ſed de Apoſtolica Sede loquitur. *Statera &c. pag. 41.* *pag. 33.*

Profert etiam duo quædam ex Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis, ubi ſanè nulla vox occurrit quæ infallibilitatem ſapiat: dicitur illic quidem ad Sedem Apoſtolicam *pertinere*, & *maximè pertinere approbationem doctrinarum*, *determinationem fidei* &c. At quis ea de re ambigit? Si hæc illi infallibilitatem ſapiant, miror non omnes penè infallibilitatis adverſarios teſtes ab eo advocari, inprimiſque ipſos Arnaldum & Quenellium quos tantoperè exhorreſcit. Frequenter enim & in Libris & in Literis utuntur, ut Catholicos decet, iis vocibus quæ impensè extollunt Apoſtolicæ Sedis dignitatem. *pag. 37.*

Sed

Sed si Historiam Universitatis Parisiensis legit Antonius Parmentier, quoties illic reperit fortissimè restitisse Universitatem illam quibusdam Pontificibus, etiam in rebus ad fidem pertinentibus? Eamdem sibi responsionem habeat de Episcopis Gallicanis anni 1650 & 1653: profectò risum tenere non potui cùm, istis officiosis dictis relatis, tamquam victorem
pag. 40. vidi exsultare: *Nescio*, inquit, *an quispiam prædicta infallibilitatis assertor posset aptioribus terminis uti ad exprimendum suam de ista re sententiam.* Ego verò nescio an aliquis infallibilitatis impugnator Pontifici gratulaturus de quodam saluberrimo Decreto, iisdem aut paribus vocibus uti defugeret. Putidum & indignum est ex aliquo urbanitatis officio voculas aucupari, & ex rigida quadam illarum significatione, suæ causæ patrocinium repetere. Næ infirmis testimoniis niti opus est homines istos qui ad talia confugiunt. Obiter tamen Doctorem nostrum monitum velim Literas 85 Episcoporum, non
pag. 39. *in Comitiis generalibus* scriptas ut ipse narrat, sed furtim ope P. Dineti aliorumque Jesuitarum à singulis seorsum Episcopis extortam esse subscriptionem.

Ea sola quæ profert ex Comitiis anni 1626. infallibilitatem dogmaticè statuunt. Verum eo tempore, Cardinalis Richelii ter-

terrifico imperio, Clerus ſuberat: atque illo præſertim anno, quo Pontificem quoquo modo ſibi devincîre ſtudebat. Tantaque erat Richelii ea in re violentia, ut optimum virum & eatenus infractum Richerium ad revocandam ſententiam (ſeu veriùs ad ſubſcriptionem chartulæ cujus ſenſus Richerio latebat) adegerit, duobus ſicariis ex improviſo admotis: Ex qua ſua ſubſcriptione, quantumvis tam crudeliter extorta, tantum ille mœrorem concepit, ut brevi poſt tempore exſtinctus ſit. Ita narratur & Actis authenticis demonſtratur in vita P. Joſephi Capucini, itemque in opuſculo poſthumo doctiſſimi Bailleti de vita Edmundi Richerii. Rem iſtam non planè ignorare videtur Antonius Parmentier: at ſi illam ab omni parte ſcivit, quomodo non exhorruit hoc latrone quàm Theologo dignius votum chartis mandare: *Contra morbum Richerianum, ſeu curandum ſeu detegendum, utile omnino foret Richelianum remedium!* Sed quidquid ſit de illis Comitiis anni 1626; uti una hirundo, quod aiunt, ver non efficit; ita talis aliquot Epiſcoporum profeſſio efficere nequit, quin doctrina contraria dicatur perpetua fuiſſe in Eccleſia Gallicana; & maximè his noviſſimis annis, quibus ſimul cum Eccleſiaſticæ antiquitatis ſin-

pag. 34

ſingulari notitia, apud Gallicanos Præſules, Paſtores, Doctores, Canonicos, Monachos, ſanæ doctrinæ amor, & adulatrices Tranſalpinorum fabulæ viluerunt. Nam quòd ex Epiſtola quadam Epiſcoporum ad Innocentium XII narrat
pag. 42. Doctor Parmentier, qua excuſant ea quæ in Comitiis anni 1682 geſta fuerant, id magis oſtendit, hanc genuinam Epiſcoporum ſententiam fuiſſe: nihil enim revocant quoad doctrinam, ſed nullius auctoritatis eſſe volunt quæ decreverunt, optantque facta non fuiſſe quæ illic facta ſunt. Et quidem nonnulla illic geſta, non Romanis tantùm, ſed iis ipſis qui cum Gallicanis Epiſcopis ceteroquin ſentiebant, minus æqua viſa ſunt. Certè Rex ipſe cùm ſcribit, referente Doctore no-
pag. 43. ſtro, *Se rerum conditione ad eam rem adactum fuiſſe* anno 1682, ſatis profitetur ſe nolle doctrinam illic propoſitam rejicere: quis enim dicat *ſe rerum conditione* ad errores declarandos adigi? Ceterum mirum eſt non addere Doctorem noſtrum quo anno, à quot & quibus Epiſcopis ita Pontifici ſcriptum ſit, aut ubi illa Epiſtola legi poſſit.

De ſtatu Academiæ Lovanienſis quoad hanc controverſiam, multa rurſum planiſſimè falſa habet idem Doctor: ſed cùm ea de re jam illi in anteceſſum reſpon-

ſponderit Auctor mox laudatus; & fama ſit ſingularem reſponſionem Doctori noſtro ab aliis parari, non diutius illi refellendo immorabimur. *Antiq. Facult. Lovan. Diſc.*

Quin ut verè dicam quod ſentio, poſtquam de doctrina quadam intra Eccleſiam diſputari cœptum eſt, nec ea diſputatio adhuc univerſæ Eccleſiæ judicio terminata eſt, minus neceſſarium videtur perquirere an aliquanto plures aut pauciores patronos habeat alterutra ſententia, maximè quum de iis rebus agitur in quibus plurimum valeant ſpes & metus, aliæque cauſæ ad ſeculum XVI relatæ. Omnino enim tum ſervanda magis eſt aurea hæc Vincentii Lirinenſis regula: *Quid ſi novella aliqua contagio, non jam portiunculam tantùm, ſed totam pariter Eccleſiam commaculare conetur? Tunc item providebit* (Chriſtianus Catholicus) *ut antiquitati inhæreat, quæ prorſus jam non poteſt ab ulla novitatis fraude ſeduci.* *Commonit. cap. 4.*

SECULO XVIII.

HUjus ſeculi initio idem quoad rem hanc erat rerum ſtatus qui ſeculo ſuperiore. Sed cùm ope Conſtitutionis, quam Rex Ludovicus XIV à Pontifice, omiſſis Epiſcopis ſuis, non ſine gravi doctrinæ Gallicanæ vulnere flagita-

gitaverat, spem concepissent Romani, etiam Gallos sub opinionum suarum jugum mittendi; Christus Ecclesiæ suæ semper benignissimè prospiciens, malum illud quod cogitaverant vertit in bonum. Numquam enim luculentiùs patuit quàm validè, quàm tenerè suæ avitæ doctrinæ Ecclesia Gallicana inhæreret. Numquam fortius Supremi Senatus omnium Provinciarum suum in tutando sacro illo deposito ardorem palam fecerunt. Numquam tanto numero Episcopi, Pastores, Academiæ &c. eidem doctrinæ clarissima & fortissima testimonia perhibuerunt, perguntque in dies perhibere. Jactant quidem adversarii ingentem numerum Episcoporum Gallicanorum qui Constitutionem *Unigenitus* susceperunt; sed more suo id faciunt, hoc est fide pessima.

Nam 1, sciunt plerosque Episcopos cum expositionibus, imo relativè, ut dicitur, ad expositiones suscepisse. Sciunt ex XL illis Episcopis qui primi susceperant, multos instrumento publico, ac dein Literis ad Serenissimum Regni Moderatorem contestatos esse, se nonnisi relatione habita ad suum Documentum Pastorale suscepisse: sciunt alios qui ex isto numero supererant, dictum illud falsi non arguisse. Porro rursum sciunt adversarii

versarii à se suisque frequentissimè scriptum esse & rectè scriptum, eos qui sic tantùm suscipiunt, non tam Constitutionem suscipere quàm expositiones proprias, imo veriùs Constitutionem rejicere. Jam itaque multum iste numerus imminuitur, vel adversariis fatentibus. At quantò apertiùs quotidie & gloriosiùs imminuitur, cùm multi Episcopi ex iis qui timore aliave causa quoquo modo eam susceperant, rescissis prioribus Actis, Eminentissimo Noallio aliisque fortissimis Religionis vindicibus se adjungunt! cùm nemo interim ex iis qui Constitutionem ab initio rejecerant, sententiam mutasse sciatur.

2. Plerique ex iis qui in Galliis Constitutionem etiamnum tuentur, non infallibilitate Pontificia, sed universalis Ecclesiæ consensu (quem Constitutioni accessisse immerito autumant) se niti profitentur. Quidam etiam qui libellis Constitutionem propugnant, apertè profitentur se ab infallibilitatis opinione alienos esse. Adeo ut cùm Illustrissimus Mechliniensis Archiepiscopus, qui tam fervidè infallibilitatem deprædicat, cùm duos tantum hactenus libellos pro Constitutione editos sua auctoritate comprobarit, ab illa sua Approbatione excipere debuerit

Réfutation du Memoire &c.

Gallicanam doctrinam quam alter illorum Scriptorum se amplecti profitebatur.

3. Imo ex tanto numero Episcoporum Gallicanorum pauci admodum proferri queunt qui infallibilitatis doctrinam in eo negotio professi sunt. Et tamen quantum laborarunt septuaginta annorum spatio Jesuitæ, qui apud defunctum Regem summa gratia valebant, ut tales Episcopi Ecclesiis præfigerentur, qui & ipsorum Societati & Romanis opinionibus præ cetereis addicti essent! Sed nimirum nulla humana calliditate, fraude, potentia, vinci possunt consilia & voluntas Dei. Jure itaque diximus in nullo umquam negotio illustriora suæ doctrinæ testimonia edidisse Ecclesiam Gallicanam.

Verum si eo nomine tantum boni Ecclesiæ obvenit ex luctuosa illa Constitutione; quàm illustre Pontificiæ fallibilitatis monimentum est ipsa Constitutio! Novimus & gaudemus jam nunc illam multis qui priùs infallibilitatis doctrina animum occupatum habebant, mentis oculos aperuisse. Apud posteros autem, postquam contentionum nebulas Deus discutere dignatus fuerit, multò pluribus id eveniet. Fatentur enim adversarii eam *ex Cathedra* editam esse. Duo itaque tantum demonstranda supersunt.

1° Multas ex damnatis propositionibus

in

in sensu plano, obvio, genuino, consentire cum doctrina & locutionibus sacræ Scripturæ & Traditionis.

2. Singulas tamen propositiones in sensu plano, obvio, genuino, damnatas esse. His enim demonstratis, nemo tam cœcus est qui non videat hinc consequi, Scripturæ & Traditionis doctrinam & ipsas locutiones à Clemente XI *ex Cathedra* pronunciante damnatas esse. Itaque duo illa capita breviter pro hujus libelli modulo pertractemus.

Atque ut à primo ordiamur, jam illud quidem multis doctissimisque voluminibus abundè præstitum est, ad quæ aut planè nihil aut frigidissimum quiddam responderunt Constitutionis assertores. Nec mirum: libri enim isti Scripturarum, Conciliorum, Pontificum, Patrum testimoniis referti sunt. Adversarii autem nihil istorum habent quòd pro Constitutione sua proferant. Itaque qui rem hanc plenissimè demonstratam videre cupit, adeat modo hos Gallicos libros: *Observations sur la Constitution: Les Hexaples: Les 7 Memoires du P. Quesnel: Les Difficultez des Theologiens de France.* Aut, si Latinos malint, hos: *Propositionum damnatarum Collatio &c: Antiquæ Facultatis Lovaniensis Discipuli ad Recentiores &c.* Nos quibus non illud propriè institutum

 est,

est, paucas è damnatis propositionibus referemus, jungemusque singulis unum alterumve Scripturæ aut Traditionis testimonium, damnatæ propositioni consentiens.

3. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das quod præcipis.*

Lib. 10. Confess. cap. 29. & 37. S. Aug. *Da quod jubes & jube quod vis.* Psal. 126. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.*

Lib. de bono persev. cap. 20. Idem. *Quid autem meorum opusculorum frequentius & delectabilius innotescere potuit quàm libri Confessionum mearum, cùm & ipsos ediderim antequam Pelagiana hæresis exstitisset? In eis certè dixi Deo nostro, & sæpè dixi:* Da quod jubes & jube quod vis. *Quæ mea verba Pelagius Romæ cùm à quodam fratre coepiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit; & contradicens aliquanto commotius, penè cum eo qui illa commemoraverat, litigavit.*

6. *Discrimen inter fœdus Judaïcum & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto verò Deus peccatori dat quod jubet, illum sua gratia purificando.*

Cap. 31. ỳ. 31. & seqq. Jeremias. *Feriam domui Israël & domui Juda fœdus novum: non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum . . . pactum*

ctum quod irritum fecerunt . . . sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.

S. Paulus. *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis.* Rom. VIII. ỳ. 2. 3 4.

S. Aug. *Quomodo lex mihi epitularetur, jubens per literam, & non dans gratiam?* Serm. 155. de verbis. Apost.

S. Thomas. *Lex nova est lex Gratiæ: & ideo primò oportuit quòd homo relinqueretur sibi in statu veteris Legis, ut in peccatum cadendo suam infirmitatem cognoscens, recognosceret se Gratia indigere.* cap. 7. 1. 2. q. 105. art. 3. in corp.

9. *Gratia Christi est gratia suprema sine qua Christum confiteri numquam possumus, & cum qua illum numquam abnegamus.*

S. Paulus. *Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu: & nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* 1. Cor. XII. 3.

S. Gregorius Magnus Papa. *Quisquis Sancto Spiritu tangitur, Dei verbum, id est unigenitum filium confitetur: & negare Dei verbum non valet, quia jam Spiritus Sancti linguam habet.* Lib. 2. in Evang. Homil. 30. n. 5.

12. *Quando Deus vult salvare animam,*

quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

Hæc propositio in textu Gallico libri, nil aliud est quàm versio horum carminum S. Prosperi addito ipsius nomine:

Carm. de ingr. cap. 13.

Nam si nemo usquam est quem non velit esse redemtum,
Haud dubiè impletur, quidquid vult summa potestas.

Paulò post, idem vir Sanctus hoc rursum habet:

cap. 16.

At verò omnipotens hominem cùm Gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit. Non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis.

Cap. 13. ỳ. 9. Esther. *Domine Rex omnipotens . . . Non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israël.*

Enchir. cap. 96. S. Aug. *Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest: nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

Cap. 98. Et rursum paulò post: *Quis tam impiè desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates*

luntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?

27. *Fides est prima Gratia, & fons omnium aliarum.*

Concil. Trid. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis.* *Sess. 6. cap. 8.*

S. Aug. *Quam gratiam primò accepimus? Fidem.* *Tract. 3. in Joan. n. 8.*

Idem. *Ex fide autem ideo dicit Apostolus justificari hominem non ex operibus, quia ipsa prima datur ex qua impetrentur cetera.* *De Præd. SS. cap. 7.*

30. *Omnes quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.*

S. Fulgent. *Omnes quos Deus vult salvos fieri, sine dubitatione salvantur: nec possunt salvari nisi quos Deus vult salvos fieri; nec est quisquam quem Deus salvari velit & non salvetur.* *De incarn. & Grat. cap. 31.*

S. Aug. *An audebis dicere, etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse si Petrus eam deficere voluisset; hoc est si eam usque in finem perseverare noluisset? Quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Christus rogaßet ut vellet.* *De Corrept. & Grat. cap. 8.*

S. Bernard. *Non possunt perire, pro quibus Pater tradidit Filium in mortem ut vivant.* *Hom. 3. de laud. Virg. Mar.*

37. *Gratia Adami sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; Gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens & digna Filio Dei.*

E 5 S. Au-

De corrept. & Grat. cap. 12. & ibid. passim. cap. 10. 11. 12. S. August. *Tales vires habebat ejus* (Adami) *voluntas quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipso concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati & tantæ benè vivendi facilitati, perseverandi committeretur arbitrium . . . nunc verò posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas . . . Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ Gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur.*

De bono persev. cap. 7. Idem. *Post casum hominis non nisi ad Gratiam suam Deus voluit pertinere . . . ut homo non recedat ab eo. Hanc Gratiam posuit in illo, in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum ejus qui universa operatur.*

38. *Peccator non est liber nisi ad malum sine Gratia Liberatoris.*

Joan. VIII. 34. 36. Christus. *Qui facit peccatum, servus est peccati . . . Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.*

De Spir. & Lit. cap. 3. S. August. *Nam neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via.*

Lib 3. ad Bonif. cap. 8. Idem. *Liberum arbitrium captivatum; non nisi ad peccandum valet: ad justitiam verò nisi divinitus liberatum adjutumque non valet.*

Oper. imperf. in Idem. *Liberum autem esse quemquam ad agen-*

agendum bonum sine adjutorio Dei...hoc vos *Jul. lib. 3. cap. 101.*
dicitis; hinc estis Cælestiani & Pelagiani.

Concil. Arauf. II. *Nemo habet de suo* *Can. 22.*
nisi mendacium & peccatum.

44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur. Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: & Amor quo nos ipsos ac mundum diligimus: qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.*

S. Leo Magnus Papa. *Duo amores sunt* *Serm. 5. de jejun. 7. mensis.*
ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diversæ qualitatibus sicut dividuntur authoribus. Naturalis enim animus qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est aut mundi: in dilectione Dei nulla nimia; in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia.

S. Augult. *Non faciunt bonos vel malos* *Epist. 155 n. 15.*
mores, nisi boni vel mali amores.

Prosper. - - - - *Manet ergo voluntas* *Carm. de ingr. cap. 27.*
Semper amans aliquid quo se ferat: & labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingressa viarum.
Vana cupit, vanis tumet & timet: omnimodaque
Mobilitate ruens in vulnera vulnere surgit.

56. *Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat.*

 S. Pau-

1. Cor. XIII. 1. 2. 3. S. Paulus. *Si linguis hominum loquar & angelorum . . . Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam . . . si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

S. Aug:

De Grat. Chris. cap. 26. * *Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur.*

Serm. 11. in Oct. Pasch. n. 7. S. Bern. *Virtus charitatis sola castificat animum, sola purgat intentionem.*

58. *Nec Deus est, nec Religio ubi non est charitas.*

Epist. 1. cap. 4. ℣. 8. S. Joannes. *Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus charitas est.*

Lib. 10. de civit. cap. 3. S. Aug. *Deo sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis, igne fervida caritatis . . . Hic est Dei cultus, hæc vera Religio, hæc recta pietas, hæc tantùm Deo debita servitus.*

Serm. 53. de pace. S. Petrus Chrysol. *Charitas ex Deo est. Sine Deo ergo est qui non habet charitatem.*

61. *Timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiù peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.*

In Lucam Lib. 8. n. 21. S. Ambr. *Qui metuit, reprimitur, non emendatur.*

Epist. 144. S. Aug. *Inimicus justitiæ est qui pœna timore non peccat, amicus autem erit si ejus amore non peccet: tunc enim verè timebit peccare.*

care. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere.

S. Bern. *Nec timor nec amor privatus convertit animam. Mutant interdum vultum, vel actum, affectum numquam.* Epist. 2. n. 3.

S. Thomas. *Lex vetus dicitur cohibere manum, non animum: quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas à peccato recedit; sicut recedit voluntas ejus qui amore justitiæ abstinet à peccato. Et propter hoc lex nova, quæ est lex amoris, dicitur animum cohibere.* 1. 2. q. 107. art. 1. ad 2.

Ludolphus de Saxonia Carthusianus, seculi XIV scriptor piissimus. *Servilis timor est ille, quo quis timet peccare propter gehennam & non amore justitiæ: sed formidine pœnæ cohibet manum, sed non animum à peccato.* De vita Christi part. 1. cap. 53.

Institutio ad pietatem Christianam, edita jussu Concilii Moguntini anno 1549: *Nec à malo recessisse putandus est, qui timore prohibitus malum perpetrare abstinet: nam qui metu pœnæ non peccat, adhuc ex ipso peccat, quod peccare vellet si impunè posset: & innocentiam coram Deo vel ex eo amittit, quia desiderio peccat.*

65. *Moïses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint nisi mancipia per timorem.*

Cap. I. v. 17. S. Joannes. *Lex per Moïsen data est, Gratia & veritas per Jesum Christum facta est.*

Rom. VIII. 15. S. Paulus. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.*

Rom. VIII. 3. Idem. *Quod impossibile erat Legi in quo infirmabatur per carnem, Deus mittens Filium suum &c.*

Gal. II. 21. Idem. *Non abjicio gratiam Dei. Si enim per Legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.*

Gal. III. 21. 22. Idem. *Si enim data esset lex quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.*

Gal. IV. 22. 24. 25. 26. Idem. *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla & unum de libera . . . quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta. Unum quidem in monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar: Sina enim mons est Arabiæ, qui conjunctus est ei quæ nunc est Jerusalem, & servit cum filiis suis. Illa autem quæ sursum est Jerusalem libera est; quæ est mater nostra.*

Hebr. III. 5. 6. Idem. *Moïses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant: Christus verò tamquam filius in domo sua.*

Idem.

Idem. *Nihil enim ad perfectum adduxit* (ἐτελείωσεν) *Lex.* Hebr. VII. 19.

Idem. *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò & melioris testamenti mediator est, quòd in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur: Vituperans enim eos dicit* &c. Hebr. VIII. 6. 7. 8.

Post tam illustria testimonia Spiritus Sancti, supervacuum videtur Patrum dicta proferre. Quid enim Patres verebuntur qui audent damnare hanc propos. 65, cujus doctrina unicus penè scopus est B. Pauli Epistolarum ad Romanos, ad Galatas, ad Hebræos. Illud ex his testimoniis modò inferamus, non posse damnari hanc Quenellii doctrinam, nisi eversa œconomiâ divinæ sapientiæ circa mysteria incarnationis & satisfactionis Christi, à Christo ipso & Apostolis mundo patefactâ. Ut proinde Fausto Socino quam homine Catholico dignior sit illius sacratissimæ doctrinæ damnatio.

69. *Fides, usus, augmentum, præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.*

S. Paulus. *Stipendia enim peccati, mors; gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.* Rom. VI. 23.

Idem. *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1. Cor. IV. 7.

Con-

Sess. 6. *cap.* 16. Concil. Trid. *Absit ut Christianus homo in seipso vel confidat vel glorietur, & non in Domino: cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita quæ sunt ipsius dona.* Quæ postrema verba Concilium desumsit ex Epistola S. Cœlestini I. Rom. Pont. ad Episc. Gall.

Hymnus in Missa Pentecostes. *Sine tuo numine nihil est in homine nihil est innoxium . . . Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium.*

De Bono Persev. cap. 2. S. August. *Nam tria sunt, ut scitis, quæ maximè adversus eos* (Pelagianos) *Catholica defendit Ecclesia. Quorum est unum, Gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, quoniam Dei dona sunt, & Dei Gratiâ etiam conferuntur merita universa justorum. Alterum est* &c.

Carm. de ingr. cap. 29.

Fons igitur meriti est lucis Pater. Inde quod in nos
Fluxerit, hoc nobis majorum est causa bonorum
Dum largitori sua reddimus: éque relatis
Augemur, nostrumque bonum fit gloria dantis.

Cap. 34. Pelagium.

Idem. *I procul insana impietas, artesque malignas*
Aufer, & auctorem comitare exclusa Britannum.

Nos

Nos humiles tenuesque sumus, grex parvus, & altis
Inniti metuens: quia sufficientia nostra
Ex Christo est: si quid recti sapimus volumusque
Illi debemus qui vincula nostra resolvit.
Proque malis bona restituit: non inveniendo
Quod merito legeret, sed donans quo legeretur.

Idem. *Nam meritum ad mortem subeundam sufficit unum,* Cap. 36.
Ad vitam, nisi quod donarit Gratia, nullum.

Idem. *Si quid enim recti gerimus, Domine, auxiliante* Cap. ult.
Te gerimus: tu corda moves: tu vota petentis
Quæ dare vis, tribuis: servans largita, creansque
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.

77. *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre & Christum pro capite.*

S. Joannes. *Qui facit peccatum, ex diabolo est . . . omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit . . . in hoc manifesti sunt filii Dei & filii diaboli.* Epist. 1. cap. 3. ℣. 8. 9. 10.

Idem. *Quotquot autem receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt* Joan. 1. 12. 13.

credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Rom. VIII. 9. S. Paulus. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*

Ibid. ℣. 14. Idem. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.*

Serm. 4. cont. Arianos n. 22. S. Athanas. *In quorum cordibus Filius non est, nec etiam Deus eorum Pater dici potest.*

In Epist. ad Ephes. lib. 3. cap. 5. S. Hieron. *Qui peccator est, & aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici.*

Tract. 5. in 1. Epist. Joan. ℣. 7. S. August. *Dilectio sola discernit inter filios Dei & filios diaboli. Signent se omnes signo crucis Christi; respondeant omnes, Amen. Cantent omnes Alleluia : baptizentur omnes : intrent Ecclesiam : faciant parietes basilicarum : non discernuntur filii Dei à filiis diaboli nisi charitate.*

Lib. 2. cont. Crescon. cap. 21. Idem. *Propter malam pollutamque conscientiam damnati à Christo, jam in corpore Christi non sunt quod est Ecclesia : quoniam non potest Christus habere membra damnata.*

Lib. 4. de Bapt. cap. 3. n. 4. Idem. *Afferat qui potest, hujus columbæ membra esse, qui seculo verbis non factis renunciant.*

Fragm. 5. edit. Sirm. S. Alcimus Avitus Episc. Vienn. *Dicit Joannes Evangelista*, quòd dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt

dunt in nomine ejus; *ut aut permaneat filius benè vivendo, aut certè per carnalem conversationem rejiciat paternitatem.*

81. *Obscuritas sancta verbi Dei, non est Laïcis ratio dispensandi se ab ejus lectione.*

David. *Beati qui scrutantur testimonia* *Psal.*
ejus. *CXVIII.*

Idem. *Lucerna pedibus meis verbum tuum* 2. *Ibid. ✝.*
& lumen semitis meis. 105.

Nehemias. *Attulit Esdras sacerdos Le-* 2. *Esd.*
gem coram multitudine virorum & mulierum VIII. 2. 3.
. . . & legit in eo apertè . . . de mane usque ad mediam diem in conspectu virorum & mulierum.

4. Reg. XIII. 2. *Ascenditque Rex* (Josias) *templum Domini, & omnes viri Juda universique qui habitabant in Jerusalem cum eo Sacerdotes & Prophetæ, & omnis populus à parvo usque ad magnum: legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis qui inventus est in domo Domini.*

1. Machab. XII. 6. 9. *Jonathas summus Sacerdos, & seniores gentis, & sacerdotes, & reliquus populus Judæorum, Spartiatis fratribus salutem. . . . . Nos cùm nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros qui sunt in manibus nostris.*

2. Machab. VIII. 16. 23. *Convocatis autem Machabæus septem millibus qui cum ipso erant, rogabat ne hostibus reconciliarentur, neque metuerent iniquè venientium adversùm*

versùm se hostium multitudinem, sed fortiter contenderent . . . Ad hoc etiam ab Esdra lecto illis sancto libro, & dato signo adjutorii Dei, in prima acie ipse dux commisit cum Nicanore.

Act. XV. 21. S. Jacobus. *Moïses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur.*

Matth. XI. 25. Christus Dominus. *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.*

Act. VIII. 27. 28. 30. 31. 35. S. Lucas. *Ecce vir Æthiops eunuchus . . . revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaïam Prophetam . . . Accurrens autem Philippus . . . dixit: Putasne intelligis quæ legis? Qui ait: & quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum ut ascenderet & sederet secum. . . . Aperiens autem Philippus os suum & incipiens à Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum.*

Rom. I. 1. 7. S. Paulus. *Paulus Apostolus . . . . omnibus qui sunt Romæ.*

1. Cor. I. 2. 2. Cor. I. 1. Idem. *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi . . . cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi.*

Rom. XV. 1. Idem. *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaïa.*

Et

Et ita deinceps ad Gal. Ephes. Philip. Coloss. Thess.

Idem. *Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Rom. XV. 4.

Idem. *Cùm lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut & in Laodicensium Ecclesia legatur.* Coloss. IV. 16.

Idem. *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.* 1. Thess. V. 27.

S. Jacobus. *Jacobus . . . duodecim tribubus quæ sunt in dispersione.* Jac. I. 1.

S. Petrus. *Petrus . . . electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ &c.* 1. Pet. I. 1.

Idem. *Simon Petrus . . . iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem.* 2. Pet. I. 1.

Idem. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Ibid. v. 19.

S. Judas. *Judas . . . his qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Jesu conservatis & vocatis.* Jud. I. 1.

S. Joannes. *Beatus qui legit & audit verba Prophetiæ hujus.* Apoc. I. 3.

Nihil necesse est Patrum dicta hic adnectere: tum quod jam vulgo notum sit omnes penè omnium seculorum veritati huic luculentissima testimonia perhibere; tum quod in brevi scripto difficilis sit delectus

ctus in tanta copia. Sed propinquiorum seculorum duo triave testimonia referre, fortasse non inutile fuerit.

S. Thomas. *Conclusio. Sacra doctrina cum cunctis hominibus communiter proponatur, in ea metaphoris & corporalibus similitudinibus divina exponi, maximè conveniens est.*

1. Part. q. 1. art. 9. ☉. *Respondeo dicendum quòd conveniens est Sacræ Scripturæ divina & spiritualia sub similitudine corporalium tradere. Deus enim omnibus providet secundum quod competit eorum naturæ . . . . convenit etiam Sacræ Scripturæ quæ communiter omnibus proponitur (secundum illud ad Rom.* 1. sapientibus & insipientibus debitor sum) *ut spiritualia sub similitudinibus corporalium proponantur, ut saltem vel sic rudes eam capiant; qui ad intelligibilia secundùm se capienda non sunt idonei.*

De Vita Chris. in Prologo. Ludolphus de Saxonia. *Inter omnes ergo scripturas præcipuè Evangelium, quod secundum Augustinum inter omnes divinas authoritates quæ sacris Litteris continentur meritò præcellit, studeas præ manibus semper habere, & in corde tuo jugiter circumferre: quia hoc te de vita & moribus Domini nostri Jesu Christi & de omnibus ad salutem necessariis poterit clariùs edocere.*

Lib. 4. cap. 11. Auctor Imitat. Christi. *Duo namque mihi necessaria permaximè sentio in hac vita, sine*

sine quibus mihi importabilis foret ista miserabilis vita. In carcere corporis hujus detentus, duobus me egere fateor, cibo scilicet & lumine. Dedisti itaque mihi infirmo sacrum corpus tuum ad refectionem mentis & corporis: & posuisti lucernam pedibus meis verbum tuum. Sine his duobus benè vivere non possem: nam verbum Dei, lux animæ meæ: & Sacramentum tuum, panis vitæ.

Joannes Picus Mirandulanus. *Nihil Deo gratius, nihil tibi utilius facere potes, quàm si non cessaveris Litteras Sacras nocturna versare manu, versare diurna. Latet enim in illis cœlestis vis quædam viva & efficax, quæ legentis animum (si modo illas purè humiliterque tractaverit) in divinum amorem mirabili quadam potestate transformat.* *Epist. ad Francisc. nepotem.*

88. *Ignoramus quid sit peccatum & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.*

Lex Moïsis. *Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum quæ oblata est Domino, peribit de populis suis.* *Levit. VII. 20.*

Jeremias. *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes; pax pax: & non erat pax.* *Cap. 6. ✝. 14.*

Ezechiel. *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus: & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas;* *Cap. 13. ✝. 18.*

mas; & cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum.

Luc. XVIII. 13. Christus Dominus. *Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare: sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto, mihi peccatori.*

Matth. VIII. 7. 8. *Ait illi Jesus: ego veniam & curabo eum. Et respondens Centurio ait: Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo & sanabitur puer meus.*

De lapsis. S. Cyprianus. *Emersit, fratres dilectissimi, novum genus cladis; & quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio. Irrita & falsa pax; periculosa dantibus, nihil accipientibus profutura.*

Epist. 30. inter Epist. Cypr. Clerus Romanus. *Absit ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate demittere, & nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere; ut cùm adhuc non tantùm jaceant, sed & cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum, utique non profutura, præstentur; & nova per misericordiam falsam vulnera, veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur & pœnitentia.*

S. Am-

S. Ambrof. *Volo veniam reus fperet, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus: ut ignofcatur & obfecret: & cum fecundò & tertiò fuerit dilata ejus communio credat remiffiùs fe fupplicaffe; fletus augeat miferabilior.* Lib. 1. de pœnit. cap. 16.

S. Auguft. *Afcendat homo adversùm fe tribunal mentis fuæ . . . Atque ita conftituto in corde judicio . . . ab ipfa mente talis fententia proferatur, ut fe indignum homo judicet participatione Corporis & Sanguinis Domini . . . Quomodo in interiora veli & in illa invifibilia Sancta Sanctorum intrare audebit & poterit, qui medicinam cœleftis difciplinæ contemnens, noluit paulifper à vifibilibus feparari?* Serm. 351. n. 7. nova Edit.

Concil. Trid. *Ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ fine magnis noftris fletibus & laboribus, divina id exigente juftitia, pervenire nequaquam poffumus: ut meritò Pœnitentia laboriofus quidam Baptifmus à Sanctis Patribus dictus fuerit.* Seff. 14. cap. 2.

Concludamus itaque cum S. Paulo. *Probet autem feipfum homo, & fic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium fibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* 1. Cor. XI. 28. 29.

91. *Excommunicationis injuftæ metus numquam debet nos impedire ab implendo de-*

debito nostro. Numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.

Act. V. 29. Petrus & Apostoli. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

Joan. XVI. 1. 2. Christus Dominus. *Hæc locutus sum vobis ut non scandalizemini. Absque Synagogis facient vos.*

Luc. VI. 22. 23. Et alibi. *Beati eritis cùm vos oderint homines, & cùm separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate; ecce enim merces vestra multa est in cælo.*

Lib. de Bapt. cap. 17. S. Aug. *Spiritales sive ad hoc ipsum pro studio proficientes, non eunt foras: quia & cùm aliqua vel perversitate vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur quàm si intus permaneant.*

Lib. de vera Relig. cap. 6. Idem. *Sæpè sinit divina providentia per nonnullas nimiùm turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione Christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam suam cùm patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel schismatis vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quàm verò affectu, & quanta sinceritate caritatis Deo serviendum sit . . . . Rarum hoc videtur genus; sed*

tamen

tamen exempla non desunt; immo plura sunt quàm credi potest.

Gelasius I. Rom. Pont. *Cui est illata sententia, si injusta est, tantò eam curare non debet, quanto apud Deum & Ecclesiam ejus neminem potest iniqua gravare sententia. Ita ergo ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.* Decret. Grat. part. 2. caus. XI. q. 3. c. 46.

Hic sistemus. Decet enim meminisse non hìc eam rem ex professo, quod aiunt, pertractari; sed edi tantummodo specimen. Hæc autem & ejusmodi innumera quæ pro asserenda propositionum damnatarum veritate proferuntur, tam sunt luculenta, tamque copiosa, ut soleant Bullæ patroni quibus aliquid etiamnum sanæ doctrinæ & verecundiæ superest, ad nescio quas perversas interpretationes confugere; quarum ope sensum quemdam erroneum, sed peregrinum, & à genuina verborum significatione Auctorisque mente alienissimum, propositionibus affingunt invito sensu communi, invito idiomate Scripturæ & Traditionis, invito Clemente XI, invitis denique Jesuitis totius negotii architectis. Verùm ut appareat quàm inane sit omne istiusmodi effugium, juvat hìc ex Gallico sermone Latinè reddere, gravissimas considerationes tres quæ præfiguntur vo-

lumini Difficultatum Romæ à Gallicanis ablegatis exhibitarum.

Nam præterquam quòd rem pulchrè ob oculos ponant, accedit non exiguam illis auctoritatem tribuendam, cùm nomine Gallicanorum Episcoporum, ac Theologorum, qui Constitutionem suscipere defugiunt, ipsiusque adeo Aulæ Francicæ auctoritate Romam missæ sint Difficultates illæ.

Consideratio Prima.

Difficultez des Theolog. de France &c. à pag. 7 ad 15.

„ Constitutio damnat propositiones „ absolutè acceptas & in seipsis. „ *Omnes & singulas propositiones præinsertas*, inquit Summus Pontifex, *damnamus*.

„ Nulla illarum est quæ non aliqua „ nota & censura afficiatur. *Omnes & „ singulas . . . tanquam falsas, scandalosas, „ seditiosas, blasphemas, hæreticas „ &c. respectivè damnamus.* Vetitum „ est eas tueri *conjunctim vel divisim*, ut „ quicumque *illas vel illarum aliquam „ conjunctim vel divisim docuerit . . . Ecclesiasticis censuris subjaceat.*

„ Habet igitur unaquæque illarum „ causam singularem. Non inter se con- „ nexæ sunt velut partes ejusdem totius: „ suum cuique vitium inest quod eam

„ cen-

„ censura dignam faciat; neque, ut „ omnia suadent, expendenda est earum „ connexio, nec liber de quo excerptæ „ sunt, nec Scriptor qui eas docuit.

„ Hæc consideratio cùm multum fa„ciat ad Constitutionis sensum perci„piendum, latiùs explicanda est.

„ Si Constitutio propositiones tantum„modo propter Librum ejusve Aucto„rem damnaret, non damnaret eas à „ quocumque Auctore *docerentur*, *defen„derentur*, aut *ederentur*; neque earum „ defensionem omnibus utriusque sexus „ fidelibus interdiceret. Neque enim „ damnatum dici potest aliquid ubicum„cumque sit, nisi id quod nusquam bo„num est.

„ Neque etiam omnem eas defenden„di licentiam eriperet alioquin Consti„tutio. Absit enim ut voluerit Ponti„fex justitiæ & veritati defensionem e„ripere: debetur enim illud Ecclesiæ „ Romanæ gloriosum testimonium, sem„per eam eminuisse singulari tutelâ, qua „ justitiam & veritatem præteritis tem„poribus fovit.

„ Quæ præterea alia causa esset prop„ter quam excommunicatione, hoc est „ omnium pœnarum maxima, feriret „ eum qui *de eis etiam disputativè publicè* „ *aut privatim tractaverit*, nulla alia reli-

„ cta libertate *nisi* eas *impugnandi*? Nec „ enim refellere aut *impugnare* licet nisi „ errorem aut iniquitatem.

Eumdem propterea librum damnamus &c. Constit.

„ Rursum. Non ipsas alioquin propo„ sitiones declararet Pontifex causam es„ se ob quam librum *Considerationum* „ *Moralium* damnet. Postulat enim or„ do judiciorum, ut propositiones damna„ ri mereantur propter vitium aliquod „ illis proprium & inhærens, priusquam „ liceat damnare librum quemdam quia „ eas propositiones contineat.

„ Si existimasset Pontifex propositio„ nes illas planè consentire cum regula „ sanæ doctrinæ, utique non eas nota a„ liqua affecisset damnando librum. „ Nusquam desinit veritas esse veritas, „ ubicumque reperiatur: neque um„ quam licuit eâdem cum errore censurâ „ illam involvere.

„ Qui, ut librum damnaret, non „ inde excerperet nisi propositiones quæ „ in seipsis bonæ sunt, is utique eradi„ caret triticum omissis zizaniis, sanæ „ doctrinæ rivos interverteret, solum„ que illic relinqueret virus erroris. Sa„ tis intelligitur non potuisse hanc esse „ mentem Pontifici, cùm tam terribili „ anathemate librum *Considerationum Mo*„ *ralium* perculit. Hinc & ipse in Con„ stitutione profitetur se excerpsisse cen-

„ tum

„ tum & unam propositionem, umquam continentes *fallacem hujus libri doctrinam*, & *summam hujus libri perniciem*; tanquam *noxia zizaniorum semina è medio tritici, quo tegebantur, educta*; tanquam *improbam saniem* quæ *secto ulcere foras erumpat*.

„ Qui itaque Sanctitatis Suæ menti „ servire voluerit, is judicare debet „ omnes & singulas earum propositionum continere virus aliquod illis proprium; idque ex seipso tam noxium, „ ut quamvis nullo libro contineretur, „ non desineret esse exitiale; corrumpendoque libro alioquin optimo sufficeret.

CONSIDERATIO SECUNDA.

Id ex consideratione superiore consequitur.

„ SEnsus in propositionibus damnatus, sensus naturalis sit oportet, „ qui ex vocum vulgari & propria significatione nascitur: quique ita suo „ splendore conspicuus est, ut fallere „ nequeat.

„ Ut itaque rectè teneatur doctrina „ quam Pontifex interposito anathemate damnat, confugiendum non est ad „ sensus obscuros & abditos, peregrinos, violentè expressos, & ab usitato „ sermone deflectentes.

„ Hanc regulam præterire non sinit „ ipse Pontifex, dum exponit suum in „ edenda Constitutione consilium. Con„ testatur enim se *fallacem libri doctrinam* „ *generatim solummodo hactenus indicatam,* „ *pluribus singillatim ex eo excerptis proposi*„ *tionibus distinctiùs & apertius explicare,* „ *atque universis Christi fidelibus noxia zi*„ *zaniorum semina è medio tritici, quo te*„ *gebantur, educta, velut ob oculos expone*„ *re :* confiditque, *Benedicente Domino* „ *fore ut omnes tandem aperta jam manife*„ *staque veritati cedere compellantur :* jam „ videlicet *denudatis & quasi in propatulò* „ *positis, non uno quidem aut altero, sed* „ *plurimis gravissimisque tum pridem dam*„ *natis, tum etiam novè adinventis erro*„ *ribus.*

„ Ex his inferre oportet, sensum pro„ positionum quem attingit Constitutio, „ non alium esse quàm sensum obvium, „ verbis ex usitato hominum sermone „ acceptis; sensum in oculos insilientem, „ tamque manifestum ut de eo ambi„ gendi locus non sit, nisi apud eos qui „ *quasi in nocte sic in meridie palpare* „ amant.

Breve ad Regem Christianiss. 8. Idus Maii 1714.

CONSIDERATIO TERTIA.

„ MEns Pontificis damnantis propo-
„ sitiones 101 fuit, *sedare, præser-*
„ *tim in florentissimo Galliæ regno, exorta*
„ *ingeniorum variè opinantium dissidia.*

„ Non itaque in antiquatas contro-
„ versias, aut errores præteritorum se-
„ culorum tenebris involutos, lata est
„ Constitutio. Aliis gravioribus nego-
„ tiis commotus fuit animus Summi
„ Pontificis. Præsentius & metuen-
„ dum magis periculum eum solicitum
„ reddidit.

„ Vidit in Ecclesia, & Gallicana ma-
„ ximè, dissensionis æstu abhinc multis
„ annis incitatos animos. Timuit ne *in-*
„ *geniorum in acerbiores scissuras protenden-*
„ *tium* diversitas, deinde pejora dissidia
„ pareret. Huic malo viam præcludere
„ voluit edendo Constitutionem quæ fi-
„ dei & doctrinæ communis regula es-
„ set, quæ diversas quaslibet Theologo-
„ rum opinationes ad eamdem senten-
„ tiam redigeret, atque ita omnem dis-
„ sentiendi materiem auferret. Hic sco-
„ pus & finis Bullæ.

„ Tam luctuosorum dissidiorum origo
„ plusquam satis nota est. Quibus ea-
„ rum initia debeantur, notum est;

 „ quo-

„ quorum artibus ad eam asperitatem & „ vehementiam , quæ nunc cernitur, „ perventum sit ; & quàm pridem hoc „ sibi ex his dissidiis commodi paraverint, ut impunè illis liceat impugnare „ non pauca certissima & gravissima Religionis & Moralis Christianæ capita.

„ Qui igitur de universo hoc negotio „ ex æquo judicare volet, intra hujus ævi spatium mentis oculos contineat. „ Hìc enim ipsa Constitutionis verba nos „ consistre jubent: neque sinunt controversias, quarum antiquior ætas sit, sibi pro scopo adsignari. Et sanè quis „ credat voluisse Pontificem universam „ Ecclesiam perterrefacere propter errores jam diu rejectos, quique nullum „ hodie patronum habeant? Æquiùs de „ eo existimandum est, credendumque, „ voluisse eum quorumdam audaciam, „ ut putabat, contundere, ne omnia inter se permiscerentur. Atque ita exponere voluit ipse quid amplecti, quid „ rejicere oporteat, ex iis de quibus nostro tempore dissensio est ; hoc est, „ circa liberum arbitrium, Gratiam „ Christi, primum maximumque mandatum de diligendo Deo, Pœnitentiam, Sacræ Scripturæ lectionem, & „ hujusmodi plura.

„ Quàm

Quàm hæc firmo fundamento ſtent, vel hinc apparet, quòd non Appellantibus tantùm, ſed & aſperrimis eorum adverſariis certiſſima cenſeantur; quod nemo hactenus, niſi multum fallor, hujuſmodi argumentis reſpondere tentaverit, quamvis jam toties prolata ſint; denique quòd iſta Conſtitutionis expoſitio non aliunde niſi ex lucidiſſimis creberrimiſque ipſius Conſtitutionis verbis petita ſit.

Liceat igitur univerſam hanc de Conſtitutione diſputationem claudere hoc Syllogiſmo:

Clemens XI *ex Cathedra* pronuncians damnat *omnes & ſingulas* propoſitiones, in ſenſu diſtincto, aperto, manifeſto, obvio; in ſeipſis; prout in Galliis de iis diſputatum fuit.

Atqui multæ ex illis propoſitionibus ſenſu obvio &c. nihil enunciant niſi Scripturæ Sacræ, Conciliorum, SS. Patrum dogmata ipſis penè eorum verbis prolata.

Ergo Clemens XI *ex Cathedra* pronuncians damnavit dogmata Scripturæ Sacræ, Conciliorum, SS. Patrum.

Itaque nullum fortaſſe exemplum Pontificis *ex Cathedra* errantis, illuſtrius a-

pud posteros habebitur quàm Clementis XI.

His ad cumulum nuper accessit, quòd Pontifex suo illo seu Brevi seu Diplomate, quod *Literas Apostolicas* vocant, Episcopos aliosque Constitutioni reluctantes, qui sanè doctrinam suam multipliciter & dilucidè exposuerant, à Communione sua separet, tamquam *Pastores errantes & in errorem mittentes*; adversùm quos Pauli verbis fideles excitat: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Quis itaque dubitare possit quin aliquas saltem istorum Episcoporum, Pastorum, Academiarum &c. doctrinas damnet Pontifex, eosque propterea à Communione sua segregatos velit? Quamobrem non tantùm Regii Senatus Galliarum, non tantùm Eminentissimus Noallius, non tantùm Parisiensis Academia; sed & multi ex iis qui Constitutionem accepturi cum Catholicis expositionibus videbantur, postquam vident nullas preces, nullam moderationem tot annorum spatio aliquid elucidationis à Pontifice obtinere potuisse, de omni pacis ineundæ consilio desperantes, & à Constitutione & à Literis illis ad generale Concilium provocarint.

Et tamen non desunt in Belgio nostro, qui sanæ doctrinæ amantes, si superis placet

placet, videri gestiunt, qui Literas illas summo plausu exceperunt. Tolerari ista utcumque possent, si à quodam P. Wavrio aliove mendicante Monacho proficiscerentur; quibus Pontificem tamquam supra humanam conditionem sublatum intueri assuetis, magni favoris speciem præbet quidquid vel nomine tenus benignum est. At quod videre cogimur, Facultatem Theologicam Lovaniensem, sanæ doctrinæ quondam tam tenacem, totque insignibus viris honestatam, ita servire iniquitati, ut doctrinæ propriæ veluti oblita, ferientibus jugulum ultro præbeat, hoc est *Iterata Declaratione* non Constitutioni modò, sed & funestis illis *Literis Apostolicis* accinat, quis sine gemitu recogitet! Imo quis credat, nisi qui noverit jam triginta & amplius annorum spatio, vi, calumniis, fraudibus, id egisse Jesuitas, Desirantium, & Steyartium, ut contra jus fasque repulsis doctissimis piissimisque viris, ad illam Facultatem adlegerentur ii qui Romanæ Aulæ & Jesuitis aut placerent aut certè minus displicerent.

At quæ tandem est vanissimi triumphi materies? Nempè Pontificem in illis Literis dicere: *Ignorare non deberent sententias illas ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palam & liberè*

liberè in Catholicis Scholis, etiam post editam à nobis memoratam Constitutionem, sub oculis nostris doceri atque defendi, illasque propterea minimè per eam fuisse proscriptas. Ex quo nonnulli inferunt, doctrinas de Gratia efficace, relatione operum in Deum, & necessitate contritionis, per Constitutionem minimè fuisse damnatas.

Sed quàm inepta inprimis est ista Decretorum inter se collatio ? Constitutio damnat propositiones clarissimas, plurimas, ipsis Scripturæ & Traditionis vocibus pronunciatas, omnium tritissimo sermone receptas, damnatque in sensu *aperto*, *distincto*, *manifesto* & omnibus obvio : Literæ Apostolicæ confusam vocem edunt de doctrinis Catholicarum Scholarum, nullo nominatim dogmate, nulla propositione prolata : Et tamen harum Literarum tenebras Constitutionis indeclinabili luci opponere non erubescunt isti ! At propiùs urgeamus, paucisquè palam faciamus, Literas istas non modo nihil subsidii adferre, sed augere potiùs suspicionem, ex mente Pontificis sanam doctrinam esse damnatam.

1. Non dicit Pontifex quænam illæ sint Catholicæ Scholæ quarum doctrinam intactam vult. Non defuerant qui crediderant damnari non posse propositiones 12, 30, & similes, nisi ipsorum con-

Congruistarum doctrinâ damnatâ: alii propositiones 87, 88, 91, ab ipsis Jesuitis traditas ostendebant. Quid si hæ sint illæ Scholæ quarum doctrinam damnatam non esse dicat Pontifex? An id sufficiet Lovaniensibus Magistris?

2. Fac etiam in aliis rebus eos malè intellexisse ejus mentem, certè quænam illæ sint non edicit. Quid si Gratiam efficacem salvam velit, necessitatem contritionis non velit? quid si contra? Idem de reliquis materiis quæri potest.

Nec enim in omnibus eos à mente sua aberrare dicit.

3. Cùm ad singulares controversias descendit Pontifex, tres tantùm commemorat: De utriusque Legis discrimine; de virtute Gratiæ; de charitate. Nullum autem verbum facit de necessitate Fidei, de Lectione Scripturarum, de Pœnitentiæ ministratione, de injusta excommunicatione, aliisque propositionibus quæ non minùs solicitos habebant Episcopos & Pastores, quàm priores illæ. Et sanè mirum sit, si commonstrare possint Lovanienses quoad illas posteriores controversias, doctrinam quàm Episcopi renitentes damnatam putant, Romæ ab illo tempore *palam & liberè* traditam fuisse.

4. Quin dum ad ipsas illas materias de

utra-

utraque Lege, Gratia, & charitate progrediuntur Literæ, augent suspicionem eorum qui mentem Pontificis fuisse autumant, etiam quoad illas materias damnare sanam doctrinam. Nam

5. De utriusque Legis discrimine nihil commemorat Pontifex præter eam novæ Legis *præstantiam quam omnes agnoscunt & profitentur.* Eam igitur intactam sinit quam *omnes*, ac proindè etiam Moliniani, *profitentur:* non eam quàm omnibus maledictis assiduè incessunt Moliniani.

6. Sic & *Divinæ Gratiæ virtutem* nullam aliam Clemens prædicat, nisi *quàm Catholicus nullus negat.* An porro illi Catholici non sint Jesuitæ, atque ille tantoperè adamatus præceptor ejus Sfondratus? Nullam ergo aliam Gratiæ virtutem à se damnatam negat, nisi eam de qua & Molina, & Lessius, & Sfondratus ipse consentiant.

7. Quid autem de charitate? *Charitatem nulli impensiùs laudant, nulli impudentiùs violant.* Nihil ampliùs. Is itaque hoc Brevi charitatis necessitatem intactam judicet, cui sufficiat frigidissima illa & penè antiquata Jesuitarum cantiuncula quam Breve venditat.

Quis non obstupescat ad eorum cœcitatem, qui post tot illata doctrinæ Catholicæ lethalia vulnera, & nova per has Lite-

Literas ſuperaddita, ſibi miſerè plaudunt de inani aliqua vocula, qua nec unum *in individuo.*, ut loquuntur, dogma conſervatur ? Et tamen ea ſunt Lovanienſibus Magiſtris *documenta prorſus ineluctabilia !* Verè, *Gloria* eorum *in confuſione ipſorum.*

Illud potius dicamus, ne quidem ſuſcipi poſſe Conſtitutionem, etiam ſi tam orthodoxas undique expoſitiones proferrent *Literæ Apoſtolicæ*, quàm reipſa nullas proferunt. Illæ enim expoſitiones circa ipſam Conſtitutionem nihil immutarent : oſtenderent forſan ad meliorem mentem rediiſſe Pontificem ; aut, ſi ita lubet, non malam ei mentem fuiſſe in edenda Conſtitutione. At quamdiu talis, qualis edita eſt, manet Conſtitutio, ſemper in ſenſu obvio, aperto &c. damnat certiſſima fidei & morum capita, adeoque ſuſcipi numquam poteſt, nam erronea eſſe non deſinit. *Philipp. III.* 19.

Ipſæ igitur Expoſitiones orthodoxæ eſſe poſſent, Conſtitutio nequaquam: itidem ut Arianæ aut Calvinianæ formulæ orthodoxis expoſitionibus fortaſſis exornari poſſent ; ipſæ verò orthodoxæ fieri numquam poſſent.

Denique pro coronide accedat Conſtitutionem natura ſua, forma, & ſtylo tanto ampliorem auctoritatem habere quàm informes illæ Literæ, ut etiamſi

hæ aliquid circa negotia Constitutionis rectè statuerent, facilè posthac foret Romanis & Jesuitis Constitutionem, utpotè Cathedraticam, pro infallibili definitione obtrudere; Literas, utpotè non Cathedraticas ex opinione multorum, nullo loco habere.

Hìc finem Primæ Partis faciemus. Ignoscat Lector benevolus, si dissidiorum in Belgio nuperrimè exortorum occasione, seculo XVIII tantò diutiùs quàm aliis immorati sumus.

DISSERTATIONIS

PARS SECUNDA,

In qua respondetur

BELLARMINO

impugnanti

Decreta Concilii Constantiensis de potestate universalis Concilii in Romanum Pontificem.

Ex opere posthumo Viri Clarissimi

ANTONII ARNALDI,

Latinè reddita.

VIsum iri spero æquis rerum æstimatoribus, Ecclesiæ Gallicanæ de Constantiensis Concilii auctoritate sententiam huc usque à Schelstratani oppugnatione sat tutam servatam esse. Sed erunt fortasse qui regerant, ex his non æquè tutam eam præstari ab aliorum assultibus, quoniam hæc victoriæ species pro-

provenire possit ex adversarii imbecillitate atque imperitia, bonam causam malè tutantis.

Quapropter operæ pretium duxi iis facere satis qui ita affecti sunt. Itaque in istorum gratiam, censui bona fide exhibenda esse quæcumque à doctioribus probabiliora adversus illorum Decretorum autoritatem excogitata sunt; & demonstrandum, ea omnia vel jam obtrita, vel ejusmodi esse quæ facilè & paucis obteri possint.

In iis qui de hac re pro Romanæ Aulæ opinionibus scripsere, tum fama, tum eruditione eminent tres Cardinales, nempè à Turrecremata, Cajetanus, & Bellarminus. Sed ad causam satis erit Bellarmini argumenta excussisse, quòd is aliorum præcipua quæque in libros suos transtulerit. Eum igitur, ne cogar sæpè eadem dicere, solum impugnabo: atque ad sex capita revocabo quæcumque variis locis in hanc rem ab eo scripta sunt. Dicendi initium dabit Pisana Synodus, cujus veluti continuatio fuit ea quæ Constantiæ habita est. Disputandum itaque

1. De Concilio Pisano.
2. De Concilio Constantiensi generatim.
3. De Decretis hujus Concilii, quæ Ro-

Romanum Pontificem Concilio submissum esse sanciunt.

4. De Concilio Basileensi ea Decreta confirmante.

5. De Concilio Florentino quod Decretorum auctoritatem infirmasse fertur.

6. De Concilio Lateranensi sub Leone X.

SECTIO I.

De Concilio Pisano.

BELLARMINUS *Lib.* 1. *de Conciliis cap.* 4.

Altera partitio Conciliorum complectitur item quatuor membra: quædam enim sunt ab Apostolica Sede approbata, atque ab Ecclesia universa recepta: quædam omnino reprobata: quædam partim approbata, partim reprobata: quædam nec approbata, nec reprobata.

Ad postremam hanc classem revocat Synodum Pisanam, de qua ita loquitur cap. 8. *Generale nec approbatum, nec reprobatum videtur esse Concilium Pisanum quod anno* 1409 *deposuit Gregorium XII & Benedictum XIII, & elegit Alexandrum V. Siquidem S. Antoninus* 3. *part. tit.*

tit. 22. cap. 5. § 2. & 3. summæ Historialis, asserit, conciliabulum illegitimum, non verum Ecclesiæ Concilium fuisse. Et eventus idem ostendisse videtur: coactum enim Concilium fuit ad schisma tollendum, & tamen illud non sustulit, sed auxit. Si tamen sine dubio fuisset reprobatum, etiam sine dubio Alexander VI se non Sextum sed Quintum appellasset. Adde quod est fermè communis opinio, Alexandrum, &, qui ei successit, Joannem, veros Pontifices (forte addendum) *fuisse. At certè ex tribus qui se tum pro Pontificibus gerebant, isti maximè ut veri Pontifices colebantur.*

RESPONSIO.

INfirma sanè argumenta, ut his adductus Bellarminus dubitet, an legitimum sit Pisanum Concilium! Primum videlicet innititur S. Antonini auctoritati: quasi unius hominis opinio conferri queat cum auctoritate mille circiter Patrum, quorum trecenti & amplius fuere Episcopi: totidem enim Synodo Constantiensi interfuisse, auctor est ipse Bellarminus. Constantiensis autem Synodus Pisanæ vestigiis insistens, ejusdem continuationem fecit.

Nihilo validius est alterum Bellarmini argumentum: cùm enim dejectis duobus in-

incertis Pontificibus alium creavit Synodus Pisana, qui verus & indubitatus Pontifex est habitus à majore numero principum & populorum, qui prius alterutri schismaticorum Pontificum parebant, certè non schisma auxisse, sed ad schismatis exstinctionem plurimùm contulisse dicenda est.

At illud miror, non sensisse Bellarminum sua se dogmata evertere, si ambigere velit de Pisani Concilii legitima auctoritate. Variis enim locis statuit Ecclesiam, cùm aut omnino nullus est Romanus Pontifex, aut non alius quàm incertæ auctoritatis, *sine dubio habere auctoritatem providendi sibi de capite*, ut ipse loquitur, Lib. 1. de Concil. cap. 14. eademque repetit Lib. 2. cap. ultimo. *Concilium potest*, inquit, *judicare tempore schismatis quis sit verus Papa, & providere Ecclesiæ de vero Pastore, quando is nullus aut dubius est. Et hoc est quod rectè fecit Concilium Constantiense.* At eadem profecto auctoritas inerat Ecclesiæ tempore Pisani Concilii. Ergo si rectè fecit Concilium Constantiense cùm dubios Pontifices Benedictum XIII & Gregorium XII denuò repudiavit, rectè etiam fecerat Pisanum Concilium, cùm eosdem à Pontificio culmine pridem dejecerat; atque Ecclesiæ præfecerat verum Pastorem, Alexandrum V. Hæc si extra dubita-

bitationem posita non sunt, nihil erit de quo dubitare non liceat, & causam vicerint Sceptici.

SECTIO II.

De Concilio Constantiensi.

BELLARMINUS *Lib.* 1. *De Concil. cap.* 7.

QUintum inter Concilia partim confirmata, partim reprobata, *est Concilium Constantiense, Patrum ferè mille ex quibus Episcopi amplius* 300. . . . *Hoc Concilium quantùm ad primas Sessiones, ubi definit Concilium esse supra Papam, reprobatum est in Concilio Florentino, & Lateranensi ultimo. Quantùm ad ultimas Sessiones, & ea omnia quæ probavit Martinus Quintus, ab omnibus Catholicis recipitur.*

RESPONSIO.

HAbemus igitur vel ipsum Bellarminum fatentem à Concilio *Patrum ferè mille, ex quibus Episcopi ampliùs* 300, *definitum* fuisse, *Concilium esse supra Papam.* Quis Catholicus sit quem in eamdem sententiam non faciat propensum auctoritas tanta?

Et

Et quam tandem aliam, quæ hìc æquilibrium efficiat, proferet Bellarminus? Hæc videlicet, inquit ille: quòd istud Concilium reprobatum sit in Florentina Synodo. Atqui, ut istud largiamur, à non spernenda Ecclesiæ parte inter legitima non censetur Concilium Florentinum: fuitque, si Patrum numerum spectes, Constantiensi longè inferius. Addò etiam, quod infra demonstrabitur, falsum esse quod sibi sumit Bellarminus, quidquam in Florentino Concilio dictum aut gestum ad infirmanda ea quæ de Conciliorum auctoritate à Synodo Constantiensi sancita sunt.

Addit Bellarminus à Lateranensi Concilio sub Leone X. fuisse reprobatum Concilium Constantiense. Pulchrè equidem: quasi Concilium centum circiter Episcoporum, maximam partem Italorum ac ad Romanam Aulam pertinentium, sententia gravior censeri debeat quàm Decretum œcumenici Concilii, quod è trecentis Episcopis constitit, & ad cujus veneranda comitia confluxerat, quidquid eruditius suo gremio fovebat Ecclesia. At plura de Lateranensi isto Concilio dicenda supersunt, de quibus infrà disputabitur.

Cùm verò, ait idem Cardinalis, *ea omnia quæ probavit Martinus Quintus ab*

omnibus Catholicis recipi, jam profectò firmat ipse adstruitque quod eversum voluit. Ea siquidem omnia probavit Martinus, vel ipso Bellarmino referente, quæ in Concilio Constantiensi determinata, conclusa, & decreta fuerant *conciliariter* in rebus ad fidem pertinentibus. Atqui hæc decreta, quæ ad fidem pertinere fatetur Bellarminus, *conciliariter* facta esse vel ex eo constat, quòd non modo de iis à singulis Nationibus deliberatum sit, sed in solemni Sessione sint sancita: quæ enim ita sanciebantur, dicta sunt *conciliariter* gesta; de quibus verò separatim inter Nationum deliberationes agebatur, *Nationaliter* tantummodo gesta esse dicebantur. Hæc postrema quod Universo Concilio tribui non possint, probare noluit Martinus, atque idcirco utitur vocabulo *conciliariter*; quo verbulo mirificè exultarunt Bellarminus & Steyartius, ut alios tenuioris notæ scriptitatores omittam: quasi non eâdem operâ quæcumque alia decreta ejusdem Concilii labefactari queant, si quis ad singula cavillator occinat non ex iis esse quæ *conciliariter* gesta dici debeant: aut quasi non in ipsum Pontificem Martinum V. contumeliosa sit hæc illius voculæ acceptio quam isti fingunt: quid enim aliud egerit Martinus, quàm illius vocabuli am-

Lib. 2. de Concil. cap. 19.

ambiguo universam Ecclesiam ludificari, quo postquam omnia probasse putaretur, singula, istius interpretationis ope, posset destruere cum rebus suis expediret. Æquiùs omnino de Pontifice existimandum, censendusque omnia *conciliariter* gesta dicere, quæ communi consensu in Concilii Sessionibus decreta sunt. Itaque velit nolit Bellarminus, probavit etiam hæc decreta Martinus V, de quibus nunc lis movetur; quoniam & *conciliariter* gesta sunt, & ad *materias fidei* spectant. Quod si verum est, dabit vel ipse Bellarminus ea decreta ab universa Ecclesia suscipienda, imò jam suscepta esse.

Id ipsum etiam conficitur ex eo quod Eugenius IV & Pius II, dignitatis suæ supra modum studiosis Concilium Constantiense approbarint; alter Decreto quod exstat apud Odoricum Raynaldum pro Romana Aula partiarium Scriptorem; alter in Epistola ad Academiam Coloniensem, quæ passim *Bulla Retractationum* ejus dicitur. Iniquissimè igitur & cum summa contumelia in tam sacrum cœtum, accensetur Concilium Constantiense iis Conciliis quæ *partim approbata, partim reprobata* sunt: ausimque provocare quemlibet, ut proferat vel unum alicujus nominis Scriptorem, qui tale quidpiam e-

dere ausus sit omni eo seculo quo Concilium istud celebratum fuit.

SECTIO III.

De iis Decretis Concilii Constantiensis quæ R. Pontificem Concilio submissum esse pronunciant.

BELLARMINUS *Lib. de Concil. cap. ult.*

Hìc sibi objicit Cardinalis hoc ex Gersone argumentum : *Concilium Constantiense Sess.* 4. *definivit, Concilium generale habere à Christo immediatam auctoritatem, cui omnes obedire tenentur, etiamsi Papalis dignitatis existat.* A quo se his modis tentat eximere.

Respondeo dupliciter. Primò : Concilium Constantiense esse legitimum & approbatum, sed non pugnare cum iis quæ diximus. Non enim definivit absolutè Concilia generalia habere à Christo potestatem supra Pontifices, sed tantùm in casu, id est tempore schismatis, quando nescitur quis sit verus Papa : nam dubius Papa : habetur pro non Papa, & proinde habere super illum potestatem, non est habere potestatem in Papam.

R E-

RESPONSIO.

HÆc una est ex illis interpretationibus quas Clerus Gallicanus rejicit: caretque revera non veritate tantummodo, sed & veri specie. Siquidem 1, Nullum tunc erat verum Schisma, cùm Gregorius XII & Benedictus XIII jam à Pisano Concilio rejecti essent, ac Joannes XXIII indubitatus Pontifex haberetur à longè majori & saniori portione Ecclesiæ: nisi contendas semper dubium esse jus Pontificis veri, quotiescumque ambitiosus & pervicax Anti-Papa à sacrilegis ausis dimoveri non vult. In Declar. Anni 1682.

2. At ut etiam largiamur, aliis dubium esse potuisse jus Joannis XXIII, non erat certè ipsi Concilio, quod Joannem XXIII & ante & post exauctorationem pro legitimè electo Pontifice habuit. Quod enim illum è dignitate dejecerit, aliâ causâ fecit, nimirum propter immania illius scelera: atque ut hæc gesta sua tutaretur, edidit Decretum illud in quo nunc Bellarminus cavillatur.

3. Eugenius IV numquam id effugium quæsivit, cùm tamen ignorare illud non potuisset, quippe qui Constantiensi Synodo interfuit, & magnoperè tali quopiam argumento indigeret adversus Basileense

Concilium à quo erat ei Pontificatus abrogatus. 4. Sed ipsa alterius Decreti verba rem conficiunt: *Qui statutis seu ordinationibus aut praeceptis hujus sacræ Synodi* ET CUIUSCUMQUE CONCILII GENERALIS *legitimè congregati . . . obedire contumaciter contempserit &c.* Qui hæc de solo schismatis tempore accipienda esse voluerit, simul illud dicat, existimasse Concilii Patres, nullo umquam nisi schismatis tempore cogendum generale Concilium: quæ hypothesis & est perquam ridicula, & Concilii Constantiensis instituto planè pugnans, quod ad hoc ipsum tendebat ut frequenter Concilia cogerentur, id quod Ecclesiæ rebus valdè expedire censebant Patres Constantienses.

Sess. V. Decr. 2.

Habet & illud suam admirabilitatem, quòd Bellarminus ut ab hoc se argumento expediret, ea responsione usus sit cujus ipse vanitatem alio loco agnovit disertissimè. Si enim Constantiensis Synodus ambiguæ dumtaxat autoritatis Pontifices Conciliis submissos esse edixisset, nihil profectò ab ea sancitum esset quod pugnaret cum veritate, vel Bellarmino judice: ipse enim, ut pridem demonstratum est, variis locis docet, *Ecclesiam sine dubio habere autoritatem providendi sibi de vero Pastore quando is nullus*

aut

aut dubius est. Atqui non veritus est affirmare, Constantiensem Synodum (tam sanctum, tam celebrem, tam numerosum cœtum) ea re fuisse ab Ecclesia *reprobatam*, quòd primis Sessionibus ab ea statutum sit, Concilium esse supra Papam. Itaque fide non bona ilud agit, ut persuadeat, *Concilium illud non absolutè definivisse Concilia Generalia habere à Christo potestatem supra Pontifices, sed tantùm in casu, id est, tempore schismatis, quando nescitur quis sit verus Papa.*

Patet itaque inanissimam esse hanc primam ejus responsionem: de altera videamus.

BELLARMINUS *ibid.*

SEcundò respondert potest, non fuisse Concilium Constantiense, cùm id asseruit, hujusmodi ut quæstiones de fide definire posset: nam in primis non erat tunc generale Concilium, cùm tantùm adesset tertia pars Ecclesiæ, id est ii tantùm Prælati qui obediebant Joanni: nam qui obediebant Gregorio & Benedicto repugnabant iis quæ à Synodo fiebant. Deinde non aderat tunc certus Papa in Ecclesia, sine quo dubia de fide definiri non possunt: in Concilio autem nullus erat Papa. Joannes enim XXIII, qui

Concilium inchoaverat, jam inde recesserat cùm quarta Sessio haberetur,

RESPONSIO.

SUnt hæc alia effugia nihilo tutiora: de singulis pauca dixisse suffecerit.

Primum illud sit: *Non aderat tunc certus Papa in Ecclesia, sine quo dubia de fide definiri non possunt.* Falsum est quod sibi sumit Bellarminus; falsum pariter quod inde vult conficere: fuit enim Joannes verus ac indubitatus Pontifex: duo reliqui pro Pontificibus se gerentes jam erant Anti-Papæ, cùm Pontificia dignitate à Pisano Concilio legitimè fuissent exuti. Fatetur ipse Bellarminus, ita semper sensisse Romanam Ecclesiam, quæ inter Summos Pontifices Alexandrum V & Joannem XXIII numquam non recensuit: idque vel eo palam fieri, quòd Rodericus Borgia, cùm Pontifex creatus est, non Alexandri Quinti, sed Sexti sibi nomen adscivit.

At quamquam nullus fuisset in Ecclesia indubitatus Pontifex, qualis revera non fuit omni illo spatio quod à Joannis XXIII abrogatione ad electionem Martini V elapsum est, falsum equidem est, Synodum tam numerosam ac Constantiensis erat, res circa fidem controversas non po-

potuisse definire. Est istud novum Bellarmini somnium, cui nec Scriptura suffragatur nec Traditio; ipsiusque Constantiensis Concilii gestis reprobatum. Illo enim quod jam diximus spatio à Joannis abrogatione ad Martini electionem, damnata fuere tot capita ad Wicleffi & Hussi doctrinam pertinentia: neque ullus repertus est qui se professus sit ambigere, an à legitima auctoritate damnata sint. Eodem tempore ut hæretica damnata est Joannis Parvi execranda propositio: *Quilibet Tyrannus &c.* Nec Jesuitis honorificum esset, hujus damnationis pondus in quæstionem vocare: norunt illi causam; sed de hac dicere, non hujus instituti est.

Alterum effugium hoc est: *Non erat tunc generale Concilium, cùm tantùm adesset tertia pars Ecclesiæ, id est ii tantùm Prælati qui obediebant Joanni: nam qui obediebant Gregorio & Benedicto, repugnabant iis quæ à Synodo fiebant.* Huic objecto penitus amovendo satis est ostendisse, Joannem XXIII fuisse unicum ac indubitatum Pontificem ceteros vero pro Pontificibus se gerentes Pseudo-Pontifices fuisse, ex quo Canonica sententia generalis Concilii Pisani, omni Pontificatus jure exciderant. Graviter siquidem aberraret, qui arbitraretur non aliter Conci-

lium censeri debere œcumenicum, nisi pro tali habeatur ab iis Episcopis qui jam prius schismati inhæsissent, utcumque fortassis fide non pessima, sed cæco affectu in illud incidissent.

Non possum etiam quin illud addam; vocabulis turpiter abuti Bellarminum, cùm numerosissimam Synodum, cui doctissimi quique intererant, *tertiam partem Ecclesiæ* fastidiosè vocat; quod videlicet duæ erant *obedientiæ* (ut vulgò vocantur) Pseudo-Pontificibus adhærentes; quæ tamen in unum cœtum coactæ, vix cum sexta orbis Christiani parte exæquari poterant. Anne igitur Ariminense oppidum, quo id temporis omnis Gregorii obedientia continebatur, *tertia pars Ecclesiæ* vicissim dicenda erit.

Quod verò his superaddit Cardinalis ille, *Episcopos qui obediebant Gregorio & Benedicto, repugnasse iis quæ à Synodo fiebant*; illud agit ut ambiguis voculis lectorem à rei cardine dimoveat: Nam illud quidem verum est, Episcopos illos schismate implicatos, Concilium Constantiense non agnovisse pro œcumenico, quod illum à quo fuerat coactum, legitimum Pontificem esse negabant. At falsum est illos impugnasse ea decreta quæ Pontificem Concilio submissum faciunt. Quin ea sibi valdè probari professi sunt; cùm

cùm Joannis XXIII abrogationem ratam habuerunt: ac cùm præterea ii qui se Benedicti obedientiæ addixerant, ea demum lege Concilio se adjunxerunt, ut Concilium novum judicium haberet ad Pontificatum Benedicto abrogandum, quem isti pro legitimo Pontifice colebant.

Tertium denique Bellarmini effugium illud voco, ubi ait: *In Concilio nullus erat Papa: Joannes enim, qui Concilium inchoaverat, jam inde recesserat.* Verum istud quidem, sed statim ab ejus fuga, edixit Synodus nihil propterea de sua vel auctoritate vel integritate decessisse. Neque impediit hæc Pontificis absentia, quo minùs à Martino Quinto statutum sit, ut omnes in quibus Wicleffianæ hæreseos suspicio hæreret, interrogarentur: *Utrum credant & teneant, & asserant, quòd quodlibet Concilium generale, & etiam Constantiense, universam Ecclesiam repræsentet. Item utrum credant quòd illud, quod sacrum Concilium Constantiense universam Ecclesiam repræsentans approbavit & approbat in favorem fidei & salutem animarum, ab universis Christianis fidelibus approbandum & tenendum: & quod condemnavit esse fidei vel bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse pro condemnato tenendum & asserendum.* Spectabant ea potissimum ad damnationem errorum Wicleffi & Hussi, quæ fa-

cta est non tantùm postquam Joannes XXIII aufugerat, sed & postquam ei dignitas erat abrogata.

Mitto quæ hoc loco his adjungit Cardinalis, ut ostendat hæc Concilii Constantiensis decreta non fuisse Martini V calculo comprobata : de his enim suprà dictum est quod satis sit revincendæ tam manifestæ vanitati. Vide Sect. 2. Mitto etiam quæ in Concilio Constantiensi sibi visus est deprehendisse, ex quibus conficere possit Pontificem Concilio superiorem esse: Nempè, inquit egregius conjector, in Bulla Martini V, quæ edita est approbante Concilio, interrogari jubentur omnes hæreseos suspecti ; *An non credant, Romanum Pontificem habere in Ecclesia Dei supremam potestatem.* Quis non videat, quàm ineptè ex iis verbis hujusmodi consecutio exprimatur ? Maximè cùm in eadem Bulla, alia interrogatio palam faciat, hanc supremam potestatem ad singulas tantùm Ecclesias pertinere, non ad omnes in unum cœtum coactas: quod quidem à fronte pugnat cum doctrina illorum qui Pontificem œcumenico Concilio superiorem faciunt.

SECTIO IV.

De Concilio Basileensi confirmante Decreta Concilii Constantiensis.

EOdem loco quo ista de Constantiensi Synodo scribit Bellarminus, objicit sibi Basileensem, Constantiensia Decreta confirmantem. Ut verò æqua de ejus responsione sententia ferri possit, colligenda duxi quæcumque de illa Synodo variis capitibus scribit. Vel ex eo enim solo patebit, inter se pugnantia de hac re protulisse; alia manifestæ veritati adversari; quædam rursus intricasse, quæ cùm explicata sunt, ea quæ sibi objicit firmantur veriùs quàm amoveantur.

BELLARMINUS *Lib.* 1. *de Concil. cap.* 7.

S*Extum* inter Concilia partim confirmata partim reprobata *est Basileense*, . . . *Hujus Concilii nihil est ratatum & probatum, nisi quædam dispositiones circa beneficia Ecclesiastica, quas (pacis & unitatis gratiâ,) Nicolaus prædictus* (Nicol. V.) *approbavit. Concilium verò ipsum reprobatur in Concilio Lateranensi ultimo. Seß.* 11.

RESPONSIO.

EN ut hoc loco Concilium Basileense exhibet veluti omnibus suis partibus reprobatum, præterquam *circa beneficia Ecclesiastica:* hac fortassis parte etiam reprobandum, ni clementer indulsisset Nicolaus V. Operæ pretium fuerit videre, num similiter aliis locis scribat.

BELLARMINUS *de Ecclesia* *Lib.* 3. *cap.* 16.

AD sextum dico, Basileense Concilium initio quidem fuisse legitimum: nam & Legatus aderat Romani Pontificis, & Episcopi plurimi: at quo tempore Eugenium deposuit & Felicem elegit, non fuit Concilium Ecclesiæ, sed Conciliabulum schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis. Sic enim appellatur in Concilio Lateranensi ultimo Sess. 11.

RESPONSIO.

PRæclaram scilicet auctoritatem, & Bellarmino judice idoneam quæ Basileensem Synodum sanctissimè celebratam, in ventos agat! Sed de Lateranensi illo postmodum dicetur. Inde tamen

men constat, nec ipsum Leonem X omnino Basileensem Synodum reprobasse, sed tantummodo ex quo Eugenium Sede movit, substituto ei Felice: sub initia autem erat *Concilium legitimum: nam & Legatus aderat Romani Pontificis & Episcopi plurimi.* At eo ipso tempore quo legitimum fuisse agnoscit Bellarminus, definivit Concilio potestatem esse in Pontificem, instauratis Concilii Constantiensis de hac re sanctionibus. Ipsum Bellarminum hæc fatentem audiamus.

BELLARMINUS *de Concil. Lib. 2. cap. 11.*

Concilium Basileense Sess. 2. unà cum Legato Pontificis consensu statuit, Concilium esse supra Papam.

RESPONSIO.

Hoc ipse jam agnoscit. Addit quidem: *Quod certè nunc judicatur erroneum.* Verùm hæc mera est petitio principii: alibi enim agnoscit, etiam *nunc* inter Catholicos superesse controversiam, utrum hæc propositio; *Concilium est supra Papam*, sit erronea annon sit. Nos verò erroneam non esse, ex iis ipsis quæ fatetur Bellarminus, nullo negotio conficimus.

ficimus. Neque enim absque ingenti temeritate id erroneum existimari potest, quod legitimum Ecclesiæ Concilium definiverit. Atqui fatente Bellarmino, Concilium esse supra Papam definitum est à Basileensi Concilio, eo tempore quo erat illud legitimum & generale Ecclesiæ Catholicæ Concilium; nimirum Sess. 2. in qua una cum *Legato Pontificis Episcopi plurimi communi consensu* id statuerunt. Itaque sine magna temeritate nequit ea doctrina erronea censeri.

Hæc cùm fateatur Cardinalis, quo tandem pacto respondere poterit ad ea quæ sibi objicit ex Concilio Basileensi, definiente Pontificem Concilio *obedire* debere, juvat ipsum audire.

BELLARMINUS *Lib. 2. de Concil. cap. ult.*

Respondeo, Concilium Basileense legitimè inchoatum, sed illegitimè terminatum.

RESPONDEO.

Atqui non sub finem dumtaxat Concilii, sed ipso initio, cùm, fatente Bellarmino, *legitimum Ecclesia Concilium* esset, ab eo definitum est *Concilium esse*

supra

supra Papam. Ergo nec minimum veri colorem habet illud Bellarmini responsum.

BELLARMINUS *ibid.*

QUæ autem definivit Concilium Basileense de sua auctoritate supra Pontificem, nullus Pontifex probavit.

RESPONSIO.

GRatis fingitur, quæ à legitimo Ecclesiæ Concilio definita sunt, vim & robur non habere nisi accedat authentica Pontificis approbatio. Ex hoc enim consequeretur licuisse olim dubitare de iis quæ circa ὁμοούσιον à Nicæna Synodo, & circa Spiritus Sancti divinitatem à Constantinopolitana sancita sunt. Nam qua, obsecro, ratione demonstrabitur, isthæc à Sylvestro vel Damaso solemni approbatione insignita fuisse? Si verò approbata censeantur ex eo quod nihil adversùs illa egerint aut dixerint illi Pontifices, contendam ego similiter, quòd Eugenius IV approbasse censendus sit, quod à Basileensi Concilio Sess. 2, cui intererat ipsius *Legatus & Episcopi plurimi*, definitum est, nempè *Concilium esse supra Papam.* Cùm enim istud Decretum non ignora-

ignoraret Eugenius, tamen Sess. 16. professus est, ab initio & deinceps fuisse legitimum ac generale universæ Ecclesiæ Concilium, nihil questus de iis quæ per Legatum suum Sess. 2, aliisque tribus aut quatuor Sessionibus, in hoc negotio gesta erant.

BELLARMINUS *ibid.*

SEd reprobavit ex professo imprimis Eugenius Papa, ut patet ex Concilio Basileensi Sess. 38.

RESPONSIO.

NIhil quidem adversùs Constantiense Concilium aut ejus Decreta dicere ausus est Eugenius IV, cùm Florentiæ in Basileensem Synodum inveheretur. Verùm ad insectandos Basileenses Patres, à quibus sibi perpetuò opponi Decreta ista graviter ferebat, venit illi in mentem ea damnare *in sensu Basileensium.* Non alienum ad causa fore arbitror, si in medium producam quæ hac de re dicta sunt in Basileensi Concilio, Sess. 38. Etenim eò nos vocat Bellarminus.

Conatur Gabriel (ita Synodus vocat Eugenium, quem non jam amplius Pontificis loco habebat) *sub obscuritatibus verborum*

borum mundum involvere, dicens se damnare & reprobare veritates prædictas de potestate Concilii generalis . . . supra Papam . . . declaratas per Constantiense & Basileense generalia Concilia , ad sensum Basileensium , quem , inquit , facto demonstravit : neque illum sensum explicans , nec in quo sensu eas approbare velit , manifestans, quæ fortassis ideo sibticet, quoniam manifestè vidit verba dictarum veritatum ita clara esse & aperta sicut sunt , quòd de nulla obscuritate notari meritò possunt , nec ad multiplices pertrahunt sensus. Et per consequens quòd ille primus sensus juxta quem se dicit reprobare dictas veritates , nullatenus allegari potest. Hoc autem notum facimus universis Catholicis , quòd nullum sensum in his habet hæc sancta Synodus nec habere vult , nisi quem sacra Synodus Constantiensis habuit in declarationibus suis , sensum verùm & Catholicum , quemque semper habuimus in declarationibus per nos factis , in secunda , undecima , duodecima , vigesima nona , & aliis Sessionibus nostris ac Epistolis Synodalibus , pariter cum Cardinalibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ , Patriarchis , Archiepiscopis , Episcopis , Oratoribus Principum , Abbatibus , Doctoribus qui in nostro cœtu adfuerunt , fideliter & unanimiter credentibus, quòd Concilium habet potestatem immediatè à Christo , cui Papa obedire tenetur , prout veritas præfata ,

sata, in Concilio Constantiensi declarata, definivit.

BELLARMINUS *ibid.*

Reprobavit item Ecclesia tota, quæ Eugenium à Basileensibus depositum semper habuit pro vero Pontifice.

RESPONSIO.

Paucis his verbis duo continentur lapsus eruditum hominem parum decentes. Primus cum veritate tam manifestè pugnat, ut res toleranda non sit. Si enim *Ecclesia tota Eugenium à Basileensibus depositum semper habuit pro vero Pontifice*, nullam ergo Felix V *obedientiam* habuit. Ut quid igitur in Bulla Nicolai V de Amedeo dicitur, *in sua obedientia Felix dictus?* Tantùm verò abest ut Eugenius, ex quo à Basileensibus dejectus est, nihilominus verus Pontifex ab universa Ecclesia sit habitus, ut ipse Raynaldus ad Ann. 1447, fateatur, quòd cùm Cæsar Germanique Principes, medii Eugenium inter & Felicem mansissent, neutrius causæ studentes, anno demum 1447; hoc est novem annis ab exuto sua dignitate Eugenio, de eo agnoscendo certis conditionibus pacti sint, quarum præci-

pua erat, ut solemni diplomate profiteretur, *Se suscipere, amplecti, ac venerari Concilium generale Constantiense, Decretum Frequens, & alia ejus decreta, sicut catera Concilia Catholicam Ecclesiam militantem repraesentantia.* Id verò Bellarmini hypothesi ipsa fronte adversatur, quæ statuit, hoc ipso ista Constantiensis Concilii decreta reprobari, si Eugenius post abrogationem in loco Pontificis habeatur.

Maximè verò hìc notandi sunt Bellarmini vehementes affectus, quibus in illud vitii incidit quod *pondus & pondus* Scriptura nominat, quodque abominabile apud Deum esse testatur. Eâdem videlicet quam hìc excutimus paginâ, demonstraturus, Constantiense Concilium non fuisse œcumenicum, dum illa Romanæ Aulæ invisa decreta condidit, ait, una dumtaxat obedientia constitisse, quam tantùm *tertiam Ecclesiæ partem* confidenter vocat! Erat igitur tunc in ea opinione, quamlibet obedientiam, duobus Pontificibus à Pisano Concilio ritè dejectis, adhærentem, tertiam Ecclesiæ partem meruisse dici: licèt ea quæ Gregorium XII sectabatur, Ariminensis oppidi finibus clauderetur. Nunc verò eadem istâ pagina, eamdem controversiam pertractans, nempè de Concilii & Pontificis æmula

æmula auctoritate, eâdem confidentiâ affirmat, Eugenium à *tota Ecclesia* verum Pontificem *semper* habitum, quamvis Felix V ut legitimus Pontifex haberetur in universa ditione Ducis Sabaudorum, in pluribus aliis Provinciis; ac à Basileensi Concilio, quod certè majore numero Christiani Principes pro generali colebant.

Alter Bellarmini lapsus diligentem Scriptorem nihilo minùs dedecet. Siquidem existimat, ut jam dicere cœperam, non posse Eugenium postquam ei à Basileensibus Pontificatus ademtus erat, ampliùs haberi legitimum Pontificem, quin eâdem operâ reprobari censeantur illa decreta Synodi Constantiensis quibus Concilio in Pontificem potestas asseritur: quæ duo tamen à se mutuo aliena esse, vel ex sola Germanorum Principum pactione constat, de qua mox dictum est: & ex iis item quæ gesta sunt inter Carolum VII Francorum Regem, & Eugenii Oratores in Conventu Avarici Biturigum habito anno 1440. Cùm enim duo præsertim à Rege postulassent Oratores illi, primum ne ad illa quæ ad Eugenium dignitate privandum & Felicem ei substituendum gesta erant, Rex consentiret; deinde ut Pragmaticam Sanctionem aut irritam faceret aut certè illius

A Bourges.

illius vim inhiberet tantisper : Rex, communicato Consilio cum Episcopis ac Regni proceribus ejus jussu Avarici Biturigum congregatis, respondit: Se Eugenio quidem adhæsurum, sed eatenus tantùm, quoad utriusque partis jura sibi meliùs cognita fierent, aut per Concilium generale, *aut per Congregationem Ecclesiæ suæ Gallicanæ, meliùs & extensiùs convocandæ.* Pragmaticam autem Sanctionem, duobus ante annis ad Basileensis Concilii Sanctiones exactam & adornatam, omnino se integram servare velle professus est. Quo quidem manifestè & solemniter, tum Basileense Concilium, tum Constantiensis Concilii litigiosa decreta confirmabantur. Ea etenim decreta veluti pro Pragmaticæ Sanctionis fundamentis jacta sunt. Patet itaque non satis accuratè loquutos, qui existimare præ se tulerunt, non potuisse Eugenium, post electum Felicem, legitimi Pontificis loco haberi, nisi rejectis Decretis Concilii Constantiensis.

BELLARMINUS *ibid.*

R*Eprobaverunt denique Basileenses qui tandem sese Nicolao subjecerunt.*

RESPONSIO.

TUrpe est bonos juvenes qui securiùs rerum veritatem se assequi posse putant, si eam in celeberrimi Cardinalis Libris consectentur, insinceris narrationibus eludere & in errorem ducere: & istud tamen est quod hìc agitur.

Numquam Basileenses Patres agnoverunt se errasse, sive Eugenio Pontificatum abrogando, aut tanto zelo Concilii in Pontificem potestatem asserendo. Numquam Gallorum, Anglorum, aut Siculorum Regibus, aut Delphino, qui anno 1448 pro componendis Ecclesiæ rebus tollendisque dissidiis strenuè adlaborarunt, in mentem venit talem aliquam confessionem à Concilii illius Patribus exigendam esse. Unum ab iis postulatum est, ut promitterent se Nicolaum V agnituros, si vellet Felix pacis causa se Pontificatu abdicare. Ac vicissim Patribus promissum est, cogendum intra sex menses generale Concilium in aliqua Galliæ civitate. Aut ergo fallit Bellarminus, aut crassissimè fallitur, cùm affirmat Basileenses Patres reprobasse quod definiverant, videlicet *Concilium esse supra Papam.*

BEL-

BELLARMINUS *ibid.*

REprobavit ipse Papa Felix, quem Basileenses creaverunt. Nam Papa Felix tandem cessit Nicolao Eugenii successori.

RESPONSIO.

HOc ipsum duriùs etiam eloquitur Cardinalis Lib. 2. de Concil. cap. 13. *Dum voluerunt Basileenses schismatibus viam præcludere, ipsi novum schisma fecerunt, creato Pseudo-Papa Felice V, qui postea cognito errore abdicavit se Pontificatu.*

Legantur modo pactionis inter Nicolaum ac Felicem initæ varia instrumenta: exstant illa Tomo XIII Conciliorum, novissimæ Editionis Labbæanæ Parisiensis. Ex omnibus patebit æquo jure & dignitate agi cum utroque Pontifice, & hoc uno inter se distare, quòd Felix dignitati suæ Ecclesiæ pacem prætulerit. Quemadmodum enim in Bullis Nicolai V cùm sermo est de Eugenio, vocatur ille *pia memoriæ prædecessor noster Eugenius Papa Quartus*; Felix verò, *Amedeus in sua obedientia Felix V nuncupatus*: ita in Decreto Basileensis Concilii Lausanam translati, Felix vocatur *Sanctissimus Dominus noster Felix V*; ejus verò competi-

 tores,

tores, *Gabriel & Thomas in sua obedientia Eugenius & Nicolaus nuncupati.* Quemadmodum Nicolaus revocat & resolvit censuras omnes à se aut Prædecessore suo latas in Basileense Concilium, in Felicem omnesque illis adhærentes: ita Concilium & Felix resolvunt censuras omnes à se latas in illos qui Eugenio, Concilii sententiâ sua Sede pulso, adhæserant, aut Nicolao V. Cautum etiam est, ut creati utrimque Cardinales, honores suos retinerent. Denique ut alia omittam quæ utrimque sunt paria, veluti *Absolutiones ad cautelam &c.* planè reperitur contrarium illius quod Bellarminus confidentissimè affirmat de Felice se abdicante *cognito errore.* Nam de illo verba faciens Nicolaus, ait : *Amedeo in sua obedientia Felice V nominato, jure quod in Papatu* SE HABERE ASSERIT, *cedere volente.* Ipse autem Felix Bullarum suarum unam ita exorditur : *Dum renuntiare Papatui de proximo intendimus propter dandam pacem Ecclesiæ, cujus contemplatu Petri Sedem Domino volente conscendimus.* Sanè qui de seipso testatur se propter Ecclesiæ pacem, *Domino volente*, Petri Sedem conscendisse, seque nunc *propter* eamdem *pacem* velle *Papatui renuntiare*, quo pacto dici poterit ea re cessisse, quòd vitiosam electio-

nem

tem fuisse existimaverit? Hunc tamen rei gestæ colorem obducere nititur Bellarminus, cùm ait: *Pseudo-Papa Felix, cognito errore, abdicavit se Pontificatu.*

In hac profectò controversia evenit frequenter, (quod in multis aliis locum habet) ut qui partium studio pleni scribunt, de rebus iisdem mirum quàm loquantur diversa, pro varia causæ utilitate. Quam enim secum pugnantia proferre solent Transalpini Theologi, cùm de Pontificibus & Pseudo-Pontificibus illis sermo est! Differendum est de diuturni schismatis spatio usque ad Concilium Pisanum? Idola & Anti-Papæ illis sunt Clemens VII & Benedictus XIII. Mox ubi de Constantiensi Concilio disputatur, mutata scena est: postulat enim causæ utilitas, ut sub illius initia fuisse putentur tres Pontifices, quo videatur Concilium non satis numerosum ut generale censeri possit: itaque idem iste Benedictus cum Gregorio illico desinunt esse Anti-Papæ; quasi novum, imo meliorem titulum servandæ dignitatis Pontificiæ acquisivissent, ex quo à Pisano Concilio erat illis dignitas abrogata. Tantùm de illis veluti incertæ auctoritatis Pontificibus scribunt, hoc est eodem illos loco habent quo Joannem XXIII, de quo idem sentiunt, quam-

vis ille tam legitimus Pontifex fuerit quàm certò alii duo Pseudo-Pontifices erant.

At ecce aliam metamorphosin. Electo Martino, jam Theologis istis nullius usus sunt Benedictus, ejusque sub Clementis VIII nomine successor: itaque hi rursum fiunt Idola & Anti-Papæ. Neque cogitant levissimi Scriptores non posse post schisma ab Alphonso Arragonum Rege instauratum, haberi Martinum V ut verum, unicum, ac indubitatum Pontificem; si schisma Ferdinandi (Alphonsi patris) Benedictum XIII protegentis, efficere potuerit, ne Joannes XXIII indubitatus Pontifex esset, quod isti volunt.

Eadem est Transalpinorum inconstantia circa Felicem V. Numquam Ecclesia judicavit jure ne an injuria Pontificia dignitas illi delata sit: erant ea de re & Principes, & Episcopi, & Theologi, in varias sententias distracti: cuique Pontifici sua erat Obedientia, quemadmodum ante Pisanum Concilium evenit Pontificibus, quorum alter Romæ, Avenione alter Sedem habebat. Verùm Gregorius & Benedictus, quorum causa dubia prius erat, facti sunt planè Pseudo-Pontifices, ex quo ea præstare abnuentes quæ se ad pacem Ecclesiæ dan-
dam

dam præstituros jurejurando confirmaverant, à Concilio Pisano Pontificia dignitate legitimè sunt exuti; & tamen hos satis molliter habere solent Transalpini Scriptores: qui iidem mox proscindunt maledictis Felicem V, confidentissimè *Pseudo-Papam* vocitantes illum, de quo numquam tale aliquid judicavit Ecclesia, qui à generali Concilio electus fuerat, ab eodem Concilio semper defensus; à nullo libero & neutri parti serviente Concilio damnatus; à nullo, quod ex utriusque competitoris obedientia congregatum, utriusque partis Cardinalibus & Episcopis constaret; hoc est, à nullo quale fuerat Pisanum, dum Benedictum & Gregorium sede dejecit.

Mira sanè istæc est judiciorum perversitas, de rebus tam similibus tam variè statuentium. Ausim tamen dicere, etiam magis istam in his conspici posse, ubi de Conciliis disputant, & quæ generalia, quæ non generalia habenda sint, ex iisdem affectibus judicant. Quod dico, jam planum faciam: ducit enim nos rerum series ad Florentinam Synodum, à qua adversus Constantiensia & Basileensia Decreta definitum esse vult Bellarminus, *Papam esse supra Concilium.*

SECTIO V.

De Concilio Florentino quod Constantiensis Concilii Decreta reprobasse dicitur.

BELLARMINUS *Lib.* 1. *de Concil. cap.* 7.

Concilium Constantiense quantum ad primas Sessiones, ubi definivit Concilium esse supra Papam, reprobatum est in Concilio Florentino, & Lateranensi ultimo.

Idem Lib. 2. *cap.* 13.

Circa tempora Conciliorum *Pisani, Constantiensis & Basileensis, plurimi in eam sententiam iverunt, ut Concilium esset supra Pontificem . . . & quamvis postea in Concilio Florentino & Lateranensi ultimo videatur quæstio definita; quia tamen Florentinum Concilium non ita expressè hoc definivit; & de Concilio Lateranensi quod expressissimè rem definivit, nonnulli dubitant an fuerit verè generale, ideo usque ad hunc diem quæstio superest etiam inter Catholicos.*

RE-

RESPONSIO.

HÆc satis significant, Bellarminum duo ista Concilia, Florentinum nempè ac Lateranense sub Leone X, inter se conferre quoad controversiam de Concilii in Pontificem potestate, ac contendere utrique illorum Conciliorum & certi aliquid & dubii inesse. Nam pro certo habet, Florentinum fuisse œcumenicum, non ita tamen *expresſè* definivisse quid de hàc re sentiendum sit: contra verò, non dubitat istud definitum esse à Lateranensi; sed an istud *verè generale* fuerit, ait non constare. At quod ille de utroque indubitanter affirmat, nos planè inficiamur: atque illud præsertim hoc loco contendo, nihil à veritate alienius dici posse, quàm si affirmetur rem esse omnibus Catholicis certam, Florentinum Concilium aut verè generale habitum, aut etiam habendum.

Illud imprimis constat, numquam ita sensisse Gallicanam Ecclesiam: neque hujus rei luculentius testimonium postulari queat eâ Epistolâ, quam Concilii Tridentini temporibus scripsit Cardinalis à Lotharingia ad Amanuensem suum, sed Pontifici exhibendam: *Gallorum constans sententia est, quòd Pontificem auctoritate antecellat*

tecellat generalis Synodus: Constantiense Concilium in omnibus œcumenicum habetur: probatur Basileense: Florentinum nec legitimum nec œcumenicum censetur: vitamque citius Gallis omnibus eripias, quàm eos in contrarium abducas. Ejusdem rei argumentum subministrat conventus ille Avarici Biturigum habitus anno 1440, cui cum Carolo VII Francorum Rege intererant magno numero Episcopi & Regni optimates. Cùm enim postulassent Eugenii oratores, ne Basileense Concilium veluti universale & legitimum Rex in ditione sua coli pateretur, præsertim ex quo illud Ferrariam transtulerat Eugenius, post consilia sex diebus communicata, tandem à Rege hoc responsi datum est: *Quod tenuerat Concilium Basileense pro legitimo, & ad ipsum Ambasiatores miserat; multa bona constituerat quæ approbat, nec unquam Congregationem Ferrariensem pro Concilio habuerat aut habebat:* nec proindè Florentinam, quæ ipsa eadem est.

At quo Scriptores istos Aulæ Romanæ suis armis conficiamus, recolenda tantummodo est illorum inconstantia, dum pro diversis causæ suæ utilitatibus de rebus iisdem scribunt diversissimè; quod & novissima sectione notavimus.

Non placet illis Concilium Constantiense

tiense œcumenicum haberi illo tempore quo definivit debere Pontificem Concilio *obedire*; constabat enim, inquiunt, solâ Joannis XXIII *obedientia*; cùm ii qui Gregorio & Benedicto parebant, Concilium œcumenici loco non haberent. Inane quidem illud prætextum est adversus Constantiensem Synodum; quòd, ut suprâ evicimus, Joannes indubitatus Pontifex esset, ex quo duo alii, à Synodo Pisana reprobati, jam facti erant Pseudo-Pontifices: ut exigua pars Christiani orbis duobus istis adhærens, efficere non potuerit quo minùs Constantiensis Synodus legitima atque œcumenica & esset & haberetur. Hæc igitur isti Scriptores immeritò: at si illis arridebat tamen hoc argumentum, quæ tandem ista est judiciorum perversitas, ut non sentiant hinc multo magis consequi, non posse Florentinam Synodum ut universalem haberi? Eam enim ut *Conciliabulum* rejiciebat Basileensis Synodus, quæ etiam tum vigebat, & quam Galli, Germani, Anglique amplectebantur. Idem sentiebant qui Felici V se addixerant, ut jam illas Provincias omittam quæ inter Eugenium & Felicem mediæ, neutri, priusquam causa diremta esset, voluerunt parere; & quæ profecto Ferrariensem aut Flo-
 renti-

rentinum conventum non existimabant universale Concilium censeri posse. Denique Gallicana Ecclesia, quæ non minus illis temporibus quàm nostris in præstantissimis orbis Catholici Ecclesiis numerabatur, licèt interim Eugenium agnosceret, donec utriusque Pontificis causa accuratiùs excussa foret, quoad reliqua tamen Basileensi Concilio adhærebat, nec umquam illi probata est aut Ferrariensis aut Florentina congregatio: quòd non existimaret hanc Pontifici potestatem esse, ut invitis Basileensibus Patribus Concilium Ferrariam legitimè transferre posset.

Nec admodum juvabit Scriptores illos, si dixerint, immerito Florentinæ Synodi auctoritatem impugnasse omnes illos. Nam ut istud quod non minus falsò quàm confidenter jactant, illis largiamur; hoc modò edisserant, an non & immeritò Arragones & Ariminenses Constantiensi Concilio obluctarentur? Si abnuunt, quid impudentius? Neque sanè abnuunt; sed merito-ne an immeritò factum sit non disputantes, factum tamen est, inquiunt: idque satis ad causam suam esse putant, si demonstrent, non fuisse eo tempore *obedientias* Benedicti & Gregorii cum Constantiensi Concilio junctas; quocirca universalis Eccle-

siæ

siæ Concilium dici non potuerit. Quidnî igitur idem sentiunt de Florentino? Quidnî similiter dicunt: Meritò-ne an immeritò Concilium Basileense, cui præerat Cardinalis sanctimonia insignis, totque intererant Episcopi & viri eruditi, ut *conciliabula* rejecerit Ferrariensem & Florentinum conventum: rectè ne Felici V adhærentes idem senserint: rectè ne Germani neutrius partes sequentes, conventus illos non censuerint legitimos: ipsi denique Galli, etsi interim Eugenio faventes, Basileense Concilium coluerint: Hæc omnia, inquam, rectè ne an secus facta sint, facta fuisse constat: sufficitque ad causam hanc, omnes illas Provincias (tantam videlicet orbis Christiani partem) nullas partes in Concilio Florentino habuisse; nec illud aut legitimum aut generale censuisse; ex his enim certum esse debet, non posse illud annumerari legitimis ac universalibus Conciliis. Judicent nunc æqui rerum æstimatores quæ habenda sit fides ejusmodi Scriptoribus, qui si id quod est fateri vellent, idem sibi dictum usurparent, quod suarum partium Episcopis tribuebat Donatista quidam: *Quod volumus sanctum est.*

B. Ludovicus Alemanus.

Atque hæc de Concilii Florentini auctoritate sufficient. Quod verò addit

Bellarminus, ab illo Concilio adversùs Constantiense & Basileense definitum esse Pontificis potestatem in Concilium, prodit inconstantiam suam. Ubi Constantiense Concilium in iis recenset quæ *partim reprobata* vocat, confidenter affirmat, ea parte reprobatum esse à Concilio Florentino, qua definiverat *Concilium esse supra Papam :* atque ecce duobus aliis locis de hac quæstione ex instituto disputans, fateri cogitur *non ita expressè* rem à Florentinis definitam esse : primò videlicet, Lib. 2. de Concil. cap. 13. ut suprà demonstratum est : ac mox iterum cap. 17. cui hunc titulum fecit : *Summum Pontificem absolutè esse supra Concilium.* Eo enim loco, etsi pronuntiare audeat, opinionem suam *esse ferè de fide*, nihil ex Florentino Concilio profert, cùm tamen eo ad tam audacis pronunciati veritatem comprobandam indigeret, si quid illic simile fuisset definitum. Sed nimirum sensit, nihil istinc elici pro illo posse, nisi obtorto collo, quod dicitur, reluctantes ad se trahere vellet. Satius itaque duxit, illo capite ne mentionem quidem injicere de illo Concilio.

Itaque si ritè expendatur quid ex Concilio Florentino protulerit Bellarminus ad infirmanda Decreta Constantiensia, videbitur ille hac fere ratione disserere : Con-

Concilium mille ferè Patrum, in quibus trecenti Episcopi, conceptis verbis definivit, *Concilium esse supra Papam*: Aliud Concilium, Patrum numero priore isto longè inferius, ac de quo majori jure dubitatur an œcumenicum sit, magnificis quidem titulis & exquisitis appellationibus Summum Pontificem ornavit; verùm adeo nihil *expressè* circa hanc controversiam definivit, ut illius dicta non proferre satius duxerim. Hinc fortassis existimet quispiam, posterius illud Concilium ad prioris auctoritatem infirmandam nihil valere; verùm aliter mihi visum est; judicavi enim postulare utilitatem causæ quam susceperam, ut indiscriminatim affirmarem, posterius illud Concilium prioris Decreta de Conciliorum auctoritate abrogasse; non enim dubitavi, quin multi essent quibus illud dixisse sufficeret ad rejiciendum Concilium Constantiense, qua parte definivit *Concilium esse supra Papam*.

Utcumque turpe sit ita animo affectum esse, eò tamen ducit illa Bellarmini levitas, tempori & causæ tam indecorè servientis. Meliori sanè fide rem camdem pertractat Andreas Du Vallius. Ingenuè fatetur, nihil in alteram partem à Concilio Florentino sancitum esse. Juvat integrum illius Scriptoris locum pro- M. Du Val.

 ferre,

ferre, præsertim quòd is sit qui reli-
Parisien- cta vulgari doctrina Facultatis suæ,
sis. Transalpinorum causæ studuit, iisque proinde suspectus esse non debet.
De supr. potest. Papa part. 4. quæst. 8. Sic igitur ille: *Posterior verò sententia, qua Pontifex Concilio superior statuitur, non est etiam de fide: tum quia satis constat, Concilium Florentinum auctoritatem Papæ supra Concilium non definivisse, etsi definiat eum esse Christi Vicarium, totius Ecclesiæ caput, & à Christo illi traditam potestatem regendi universalem Ecclesiam; quod nemo eorum qui contra sentiunt, negat. Illius enim potestatem in Ecclesiam universalem ubique locorum diffusam, admittunt: & omnium Christianorum Patrem & Doctorem eum agnoscunt. Sed contendunt, Concilium Florentinum non propterea definivisse, eum in Ecclesiam universalem, quatenus est legitimè congregata, & in Concilio aliquo generaliter per suos Prælatos unita & consentiens, potestatem habere.*

SECTIO VI.

De Concilio Lateranensi sub Leone X.

BELLARMINUS *Lib. 2. de Conciliis cap. 17.*

L*ateranense ultimum sub Leone X Sess. XI, disertè & ex professo docuit Pontificem esse supra omnia Concilia, & reprobavit,*

bavit contrarium decretum editum in Concilio Basileensi, solum, inquit, Romanum Pontificem, tamquam super omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum; sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifestè constat.

Ad hunc locum nihil potest responderi, nisi vel non fuisse ab Ecclesia receptum, vel non definivisse hoc tamquam de fide. Sed non fuisse generale vix dici potest. Nam etsi fuerunt Episcopi paucissimi, nam ad centum non pervenerunt, tamen Concilium omnibus patebat & omnes vocati fuerant, & in eo Summus Pontifex verus & indubitatus præsidebat.

Quod autem non fuerit receptum, saltem ab omnibus, parum refert. Nam Decreta Conciliorum non indigent approbatione populi, cùm ab eo non accipiant autoritatem. Verùm est quidem Decreta de moribus, si non recipiantur, & Pontifex conniveat, tandem consuetudine abrogari: sed hoc non accidit ex eo quod indigeant populi approbatione, sed quia Decreta mutabilia sunt, & cùm Pontifex videt longo tempore ea non servari, & tacet, censetur ipse abrogare. At Decreta de fide immutabilia sunt, nec

possunt

possunt ullo modo abrogari postquam semel statuta sunt. Tale autem est hoc de quo agimus. Quod verò Concilium hoc rem istam non definierit propriè, ut decretum fide Catholica tenendum, dubium est: & ideo non sunt propriè hæretici qui contrarium sentiunt, sed à temeritate magna excusari non possunt.

RESPONSIO.

HÆc omnia tam inania sunt, tam ruinosa, ut facilè evertas uno Andreæ Duvallii loco, Romanis nec infensi, nec suspecti.

De Supr. potest. Papæ, part. 4. q. 7.

Ad Concilium Lateranense, inquit, *quod multò expressius loquitur quàm Florentinum, variæ sunt responsiones. Quidam enim aiunt non fuisse verè & propriè generale, cùm ei vix centum Episcopi interfuerint. Alii dicunt, caput illud undecimum in quo de autoritate Concilii supra Pontificem mentio fit, à Concilio non fuisse discussum aut examinatum, sed tantum perlectum coram Prælatis Concilii, qui sine prævio examine illud approbarunt: ideoque dici non conciliariter conclusum & definitum, sicut de Concilii Constantiensis definitione dictum est. Alii sic rem expediunt: Etiamsi, inquiunt, Concilium absolutè fuisset generale (quod adhuc propter Episcoporum paucitatem relinquitur incertum) tamen rem ipsam ut Decretum fidei Catholicæ non definivit: nulla enim in verbis Concilii*

cilii nota apparet, ex qua fidei definitionem colligamus: nam nec anathema pronuntiat in eos qui contrà sentient; nec dicit se hoc expressè aut propriè definire; aut esse de necessitate salutis ita credere; vel quid simile, ex quo expressa definitio colligatur. Alii denique respondent, Concilium eatenus autoritatem Papæ supra Concilium definire, quatenus id ex Scripturis, Patribus, & antiquis Canonibus manifestè constare censetur: ad hæc enim, si omnia verba attentè expendantur, vim suæ definitionis, si qua sit, Concilium revocat: Atqui quod res illa de fide sit, ex nullo Scripturæ, Patrum, aut antiquorum Canonum testimonio constat: igitur non potest illud dici à Concilio Lateranensi tamquam de fide definitum. Cæterum non tantùm neutra harum opinionum hæretica est, sed etiam neutra est erronea & temeraria, saltem temeritate opinionis.

Quid igitur sibi vult Bellarminus, ubi cum præclaris doctissimisque Theologis veluti clementer acturus, *non esse quidem propriè hæreticos*, benignissimè scilicet profitetur? Nihil illi docent, præter id quod à Conciliis Constantiensi & Basileensi, vel ipso fatente Bellarmino, definitum est: & tamen benè cum illis agi existimat, si hæretici non habentur! Quin quo magis sentiant se illo crimine sola mitissimi Cardinalis indulgenia liberari, addit, illos

illos *à temeritate magna excusari non posse.* Neque censuram illam censurâ dignissimam, alio argumento firmat, quàm auctoritate Lateranensis Concilii sub Leone X: de quo fatetur quidem, tribus modis responderi posse, sed duobus prioribus immeritò rejectis, tertio demum aliquam veri speciem inesse agnoscit. Nos verò isthæc paulò diligentiùs pertractabimus.

Ait itaque imprimis, *vix dici posse* Lateranense non fuisse legitimum & generale Concilium. At, quod pace illius dictum sit, utrumque jure dicitur. Etenim nihil magis proprium est legitimo Concilio quàm libertas: quæ esse nulla potest, nisi eo loco congregetur ubi liberè & absque metu quisque possit ferre sententiam. Hac libertate quia caruit Concilium Ephesinum secundum, *Latrocinium* dictum est, non Concilium: nec sine ineptia contendit Bellarminus, non alia causa illud Concilium nullum robur habuisse, quàm quòd noluerit Romanus Pontifex illius Acta confirmare. Quis porrò dicere queat in Lateranensi isto Concilio veram libertatem fuisse? Indictum à Julio II omnium Pontificum incitatissimo, cui majori curæ erant res bellicæ quàm Ecclesiasticæ. Is quo viam sibi ad Pontificatum sterneret, pacifici

cifici & religiosi hominis speciem præ se ferebat, proposito Cardinalibus jurejurando, quo is qui elegeretur ad Apostolicum munus, multa se præstiturum confirmaret, ac præsertim *quòd nulli Regi, Principi, aut Domino, aut communitati non subdita sibi, non movebit bellum, aut cum eis ligam faciet ad inferendum alicui bellum sine consensu duarum ex tribus partium Dominorum Cardinalium. Item quia celeriùs convenit celebrari Concilium, promittet & jurabit, intra biennium à creatione sua, illud indicere in loco libero & tuto.* Atque id quidem statim post sui electionem, quæ anno 1503 facta est, se præstiturum, juravit Julius; sed illius sacramenti parum memor, suscitavit atrox bellum quo omnis Italia conflagravit; indicendi Concilii, & omnis Pontificii muneris adimplendi ex æquo securus. Nullo enim Concilio indicto, jam septem anni effluxerant, cùm sensit seriò illius convocationem à Cæsare Maximiliano I, & Francorum Rege Ludovico XII flagitari: novemque Cardinales, quo se tyrannide illius eriperent, Pisas se recepisse, atque illic indixisse Concilium.

Tum verò illud disturbaturus Pontifex, mox aliud Romæ convocavit, ubi erat ipse ingenti exercitu & ad nutum paratissimo stipatus, egregiè scilicet ju-

risjurandi religionem servans, quo adstringebatur convocare Concilium *in loco tuto & libero*, ad reformandam Ecclesiam in capite & in membris. Liberumne fuisset Episcopis, Gallis, Germanis, Anglis, Hispanis, proferre sententiam adversus tam iniquam & S. Petri Successore indignam agendi rationem! Atque istud est quod exposuerunt Patres Pisis congregati, cùm eos ad suum istud Lateranense Concilium invitaret Julius, facta libera commeandi potestate. Responderunt enim, nullam sibi urbem Romanâ minus tutam esse; cùm palam esset habere illic Pontificem *Equitum peditumque copias instructissimas, arces munitissimas, classem non procul paratam, urbem denique ipsam, populos finitimos bello & armis assuetos à suo nutu pendentes, assuetosque Capitaneos pro Pontificis voluntate Cardinales & Prælatos parvi pendere. Quàm molesta esse non debet ista recusatio! Quis enim, ut elegantissimè ait Clemens V, ad judicem grandi & feroci exercitu stipatum facilè venerit? Quis auderet, aut qua ratione teneretur illis se ultroneum offerre, quorum non temerè violentia timeatur? Nec ad justissimum animorum Patrum timorem tollendum, ampla illa verba salvi-conductus à Pontifice oblati proficiunt. Quæ enim solemnior umquam fides & promissa, quam illa*

Apolog. Conc. Pis.

illa Capitulorum Conclavis? Quo verò pacto servata sint, creationes Cardinalium, & eorum libertas minimè servata ostendunt. Innocentius III docet, non teneri quemquam cum litteris salvi-conductus sese adversanti credere.

Leo X, qui militari isti Pontifici successit, ac Lateranense Concilium continuavit, iisdem quibus Julius moribus fuit: perindè rei bellicæ studiosus, à reformanda Ecclesia perinde alienus. Nihilo itaque tutior sub illo erat Lateranensis Aula, aut aptior habendo Concilio libero. Diu erat ex quo ob Pontificum animos à servandis canonibus alienos, denunciatum fuerat Romanis, non censeri idoneum Palatium Lateranense ad Congregationem Concilii, in quo de Reformatione Ecclesiæ in capite & in membris agendum esset.

Ita jam palam locutus fuerat Joannes Dauvet in Parisiensi Curia Cognitor Regius, cùm à quodam Decreto Pii II variisque ejusdem molitionibus, ad generale Concilium provocaret, cùm enim diceretur Pius velle Concilium aliquod in istud Lateranense Palatium convocare, adjicit Regius Cognitor: *Nec credendum est, in veritate subsistere quod nonnulli ferunt, SS. Dominum nostrum velle in Laterano Concilium celebrare. Stante enim contradi-*

traditione qua Summus Pontifex adversùs Canones Conciliorum agere videtur, non illic esset plena deliberandi libertas. Merito itaque Concilium illud Lateranense, quod tanti facit Bellarminus, nec legitimum nec œcumenicum censetur.

Præterea, ut nihil jam de erepta libertate conquereremur, nihilne istud est quod fatetur idem ipse Bellarminus, huic Concilio paucissimos Episcopos interfuisse, qui *nec ad centum pervenerunt?* Addere potuisset in his ipsis vix alios quàm Italos fuisse, quin ex iis plerosque qui ad Pontificis Aulam pertinent. Eccui videri poterit ejusmodi cœtus idoneus ad Ecclesiam universalem exhibendam? Aut qua fronte eum talem censebunt ii, qui negant Constantiense Concilium, cùm ex 300 Episcopis magnoque eruditorum virorum numero constaret, satis universale fuisse ut Ecclesiam exhibere crederetur, quòd Arragones & quidam alii Hispanienses illi non interessent?

Altera responsio quam Bellarminus rejicit, hæc est; non fuisse Concilium istud ab Ecclesia receptum. Quod verò ille huic responso opponit, plane à causa alienum est. *Decreta*, inquit, *Conciliorum non indigent approbatione populi . . . Decreta de fide immutabilia sunt, nec possunt ullo modo abrogari postquam semel statuta sunt.*

sunt. Tale autem est hoc de quo agimus. Ridiculè! Non enim hic de Concilii Decretis agitur, sed de ipso Concilio: neque de populi, sed de Episcoporum approbatione; quorum sanè ingens numerus, cum regionibus integris adversabantur Lateranensi Concilio. Quin illud constat, majorem partem Episcoporum Catholicorum noluisse probare ea quæ illic gesta erant: noluisse etiam Concilio interesse, quod nec liberum censerent, nec ejusmodi ut sincerè depravatorum morum & disciplinæ emendatio ab illo sperari posset.

Quàm ab eo Concilio recipiendo aliena nominatim fuerit Gallia, palam facit intercessio ac provocatio Senatus Parisiensis, & ejusdem urbis Academiæ. Exstant illarum instrumenta Tom. 3. Collectionis rerum à Clero Gallicano gestarum pag. 148. Ubi & hæc leguntur: *Quia Senatus pro comperto habet, Congregationem quam Lateranense Concilium vocitant, omni ope ac studio moliri, quo Sanctionem Pragmaticam & Decreta in eo contenta &c. Certumque est Cognitorem Regium statim atque ista Sanctionis Pragmaticæ abrogatio illi innotuit, tum suo, tum Senatus, & omnium Gallorum nomine de illa... ad Concilium provocasse: idem Senatus amplius adhærendo prædictæ appellationi & in*

ea

ea constanter perseverando, iterum provocavit & quantum opus de integro provocat propter causas & rationes in actis prædictæ appellationis fusè expressas, ad Papam melius consultum, & futurum Concilium generale legitimè congregandum. Idem fecit Academia, ut ejusdem Libri pag. 162. conspici potest. An non hæc affatim demonstrant, nulla ratione posse illud Concilium dici legitimum aut generale, quidquid interim moliti sint Julius II & Leo X, ut veluti œcumenicum ab omnibus coleretur?

At illud miror non animadvertisse Bellarminum, se adversùs semetipsum arma suppeditare. Observat enim, ad fidem pertinere hanc controversiam, *an Concilium sit supra Papam*, an contrà: ac deinde, Decreta Conciliorum in iis quæ ad fidem pertinent, *immutabilia esse, nec posse ullo modo abrogari postquam semel statuta sunt:* adeo ut nec ipse Summus Pontifex adversùs illa quidquam valeat. Hoc enim discriminis statuit Bellarminus inter fidei & morum Decreta, *Decreta de moribus si non recipiantur & Pontifex conniveat, tandem consuetudine abrogari, quia Pontifex censetur ipse abrogare; non verò ita esse quoad Decreta de fide:* censet ergo ne ab ipso quidem Summo Pontifice Decreta de fide abrogari posse postquam semel

Per *mores*, ea quæ ad disciplinam exteriorem pertinent, intelliguntur.

mel statuta sunt. Ex his nullo negotio conficies frustra provocare Bellarminum ad Florentinum & Lateranense Concilium, quasi damnantia id quod in Constantiensi & Basileensi fuerat sancitum. Qua enim arte solvetur hoc argumentum.

Decreta Conciliorum generalium in iis quæ ad fidem spectant sunt immutabilia, nec ullo modo abrogari possunt ne ab ipso quidem Summo Pontifice, postquam semel statuta sunt: Atqui fatetur Bellarminus Concilium Constantiense (quod etiam eo tempore generale fuisse evicimus) *definivisse Concilium esse supra Papam*: fuitque de eo Decreto *Nationaliter* deliberatum & *Conciliariter* pronunciatum; accessitque proinde Martini V. confirmatio. Et fatetur idem Cardinalis, Concilium Basileense fuisse legitimum Ecclesiæ Catholicæ Concilium, cum in 2 Sessione cui intererat Pontificius Legatus, unanimi consensu statuit Concilium esse supra Papam.

Ergo illa Decreta duorum istorum generalium Conciliorum, sunt *immutabilia*: nec ullo modo abrogari potuere per posteriora Concilia. Atque ita frustra in proferendis Florentinis & Lateranensibus Decretis desudatur.

Tertia tandem responsio ad Lateranensis Concilii Decretum, quam non ex omni parte ausus est Bellarminus rejice-

re, hoc habet; dubium saltem esse, an id quod de auctoritate Pontificis statuit illud Concilium, *proprie definierit ut Decretum Catholica fide tenendum.*

Nos verò non id dubium, sed certissimè falsum esse contendimus: nam, ut rectè Duvallius suprà relatus, *Alii dicunt caput illud undecimum in quo de auctoritate Concilii supra Pontificem mentio fit, à Concilio non fuisse discussum aut examinatum, sed tantùm perlectum coram Prælatis Concilii, qui sine prævio examine illud approbarunt, ideoque dici non posse conciliariter conclusum & definitum, sicut de Concilii Constantiensis definitione dictum est.* Quod hìc de Decreto Concilii Constantiensis admiscet ille, facit à Bellarmino in errorem ductus. At quod Lateranense Decretum attinet, argumentum ejus sanè validum est, & rem conficit. *Alii sic rem expediunt*, prosequitur Duvallius: *Etiamsi, inquiunt, Concilium absolutè fuisset generale (quod adhuc propter Episcoporum paucitatem relinquitur incertum) tamen rem ipsam ut Decretum fidei Catholicæ non definiunt: nullâ enim in verbis Concilii nota apparet ex qua fidei definitionem colligamus. Nam nec anathema pronuntiat in eos qui contra sentient, nec dicit se hoc expressè aut proprie definire; aut esse de necessitate salutis ita credere; aut quid simile ex quo expressa definitio colligatur.* Id quidem verissimum est,

est, perpendentique hanc Leonis X in Concilio Lateranensi orationem, patebit historicam potius narrationem esse quàm fidei Decretum. Sed hoc omne dilucidius fiet, ex hac alia Duvallii observatione. *Alii denique respondent, Concilium eatenus auctoritatem Papæ supra Concilium definire, quatenus id ex Scripturis, Patribus, & antiquis Canonibus manifestè constare censetur: ad hæc enim, si omnia verba attentè expendantur, vim suæ definitionis, si qua sit, Concilium revocat. Atqui quod res illa de fide sit, ex nullo Scripturæ, Patrum, aut antiquorum Canonum testimonio constat. Igitur non potest illud dici à Concilio Lateranensi tamquam de fide definitum.* Pulchrè quidem hæc notavit Duvallius: sed potuisset validiora inde argumenta elicere. Non enim istud modo dici poterat, non esse hanc fidei definitionem, sed ne prorsus quidem esse definitionem; quoniam non aliud sit, quàm mera narratio, eaque non valdè fida, ac quæ proinde nullo loco habenda sit. In promtu autem est illud demonstrare.

Namque undecima illa Sessio continet quamdam Leonis X Bullam, qua non dogma aliquod definiendum suscipit, sed sanctionem Pragmaticam abrogandam, quod Pontificis arbitrio permiserat Cancellarius Antonius Du Prat, sine Eccle-

siæ Gallicanæ assensu, post Bononiensem Collationem inter Pontificem & Regem Franciscum I.

Præfatus Pontifex, in Pragmaticam Sanctionem, quæ tantummodo jubet Conciliorum Constantiensis & Basileensis leges circa Ecclesiæ reformationem servari, acerbissimis vocibus invehitur, *Franciæ corruptelam* vocitat, *Sedis Apostolicæ detrimentum & vilipendium*, *schisma manifestum foventem & continentem*, *schismatis tempore factam à non habentibus potestatem.* Quasi verò in schisma omnis Gallia proruisset, cum unanimi omnium Regni Ordinum sententia probavit & servari jussit, quod ab œcumenicis Conciliis ad reformandam Ecclesiam sancitum fuerat.

Magnum deinde suæ causæ patrocinium hinc arcessit Leo, quòd Baluensis Cardinalis Regem suum Ludovicum XI fallens, eum ad Pragmaticam Sanctionem abrogandam induxerat: quamvis id quidem irritum fuerit, intercedente Cognitore Regio quo minus Edictum Regium in tabulas Supremi Senatus referretur; ipsoque tandem Rege errorem in quem impulsus fuerat agnoscente, & sententiam mutante.

Causam verò, quæ hanc Sanctionem Romanæ Aulæ facit esse tam invisam, non reticet Leo: scilicet (audite scelus) adimit

adimit illa Pontifici *facultatem conferendi beneficia Ecclesiastica Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nec non aliis viris doctis & personis quibus abundat curia, & à quibus Sedis Apostolicæ & Romani Pontificis atque universalis, autoritas & potestas observaretur.*

Post tam præclarum exordium, tandem ita decernit Pontifex: *Quapropter S. Leonis I imitatione, qui in Synodo Chalcedonensi ea abrogavit quæ in Synodo Ephesina decreta fuerant, Leo X pronuntiat se salva conscientia, proprioque honore & ipsius Ecclesiæ dignitate non posse aut debere diutius pati Pragmaticam inveterescere.* His verbis continetur quidquid est *dispositivum*, ut vocitant in ea Bulla: & hæc est quam se ait Leo edidisse *sacro approbante Concilio.* Et de ista tali decernet Bellarminus, quique ejus veluti præceptoris vestigia premit Schelstratanus, non posse nos *sine magna temeritate* huic non assentiri! Paucos equidem futuros existimo, qui sentiant nefas esse dubitare, an non potuerit hic Pontifex *salvâ conscientiâ* sinere ut Pragmatica Sanctione uteretur Ecclesia Gallicana.

Ut ut sit, quid in Bulla subsequatur audiamus. Respondet Pontifex ad objecta quædam pro Sanctione Pragmatica: quæ responsio tria aut quatuor complectitur, quæ manifestæ vanitatis sunt: ac præterea nonnullas hypotheses, quæ, id.

id evertunt quod illi maximè cordi erat constituere. Accipite objecta: *Nequequicquam referre*, ait, *quòd illa, omniaque contenta in ea, ex Decretis Synodi Basileensis deprompta & in Bituricensi congregatione condita & recepta fuerint.* Quibus ita respondet: *Cùm hac omnia contigerint post translationem Synodi Basileensis Eugenii auctoritate factam, ab eo tempore Congregationem Basileensem nomen mereri conciliabuli aut potius conventiculi, ideoque nullum robur habere.* An illud etiam jubebimur credere, omnia Basileensis Concilii Decreta, quæ in Galliis servanda statuit Pragmatica Sanctio, condita fuisse postquam Eugenius Concilium illud se Ferrariam edixerat transtulisse? Atqui constat, ex omnibus illis Decretis non nisi duo edita esse post id temporis.

Sed benè habet quod ex his saltem liceat intelligere, nihil invenisse Leonem quod in aliis Decretis ac in ipso Basileensi Concilio reprehenderet, hoc est nihil omnium istorum potuisse reprehendere quæ ante illud Eugenii incœptum Basileæ gesta fuerant: imò satis liquet, omni illo tempore quod præcessit, legitimum Concilium fuisse ex sententia Leonis, cùm *ab eo* demum *tempore* in Conciliabulum desierit, ipso judice. Necesse ergo illi erat comprobare Decreta Sess. V. Concilii Constantiensis, quæ instaurata

&

& confirmata sunt in Basileensi, ante illam quàm dicunt translationem; atque eo tempore quo fuisse illud *legitimum* Ecclesiæ Catholicæ *Concilium, in quo aderat Legatus Summi Pontificis & Episcopi plurimi,* jam pridem audivimus fatentem Bellarminum.

Pergit respondere Pontifex: *Cùm præsertim solum Romanum Pontificem auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum Patrum, & aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum, Sacrorumque Canonum Decretis, sed propriâ etiam eorumdem Conciliorum confessione, manifestè constet: quorum aliqua referre placuit.* Quod his verbis affirmat Pontifex, certum esse pro hypothesi habet, ex Scriptura, Patribus, Pontificibus, ipsisque Conciliis. Nihil ergo definit: non enim hoc agebatur: sed quod id causæ suæ opportunum sit, profert ut rem compertam. Et agit quidem commodè: nam eatenus tantùm jubet verbis suis fidem haberi, quatenus earum veritatem certis auctoribus planam faciet, ac primùm Scripturis, ex quibus nobis proferri quod demonstret Pontifici ampliorem potestatem esse quàm Concilio, avidè profectò expectamus. Deinde SS. Patribus, in quorum scrip-

tis nil tale hactenus repertum est. Postea ex Pontificibus, quorum fortasse aliqui postremis temporibus tale quid dixerint: quos dignitatis suæ plus æquo studiosos, in hac causa arbitros esse non decet. Denique ex ipsis Conciliis, quorum, quia visa est major auctoritas, testimonia quædam censet Pontifex esse proferenda.

In Alexandrina enim Synodo, inquit, *Athanasio ibidem existente, Felici Romano Pontifici ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus, Nicænam Synodum statuisse, non debere absque Romani Pontificis auctoritate Concilia celebrari.* Pulchrè sanè initium facit à commentitia fictæ Synodi Epistola, quæ inducit Synodum Nicænam ea dicentem quæ nusquam dixit: & quæ si dicta essent, non illud conficerent, esse Pontifici potestatem Concilia pro libidine dissolvendi aut transferendi.

Pergit: *Neque nos latet, eumdem Leonem Pontificem Secundam Ephesinam Synodum ad Chalcedonem transtulisse.* Hoc verò etiam apertius falsum est. Secunda Ephesina Synodus initium & finem accepit Anno 449: Chalcedonensis verò, mense Octobri anni demum 451 habita est, hoc est duobus annis postea quàm Ephesinæ finis esset impositus: nec Chalcedonem primùm, sed Nicæum convocata est; atque à Cæsaribus quidem, ut illorum temporum ferebat usus.

Nicæā.

Nicæâ Chalcedonem à Martiano Cæsare translata est, ea re ut ipse posset Synodo interesse, nec eum procul Constantinopoli discedere sinerent Imperii negotia. Quo igitur auctore ait Leo X de Leone I: *Neque nos latet, Leonem Pontificem, secundam Ephesinam Synodum ad Chalcedonem transtulisse?*

Etiamnum pergit Pontifex: *Martinum etiam Papam Quintum, præsidentibus suis in Concilio Senensi potestatem transferendi Concilium dedisse, nulla consensus ipsius Concilii mentione habita.* Aliud sanè indicatur ipso instrumento, quo declaratur Concilium Senis Basileam transferri, quod quidem Senis conditum fuit, perlectum verò in prima Basileensis Concilii Sessione. In eo enim nominatim notatum est, transferri Concilium non modo auctoritate Legatorum Martini V, sed & Deputatorum à nationibus: *Prædicti Domini quatuor Præsidentes . . . per organum unius ex ipsis, in ipsum locum, videlicet Basileensem civitatem, per ipsos Dominos Deputatos electam, consenserunt.*

Quod verò his adjungitur in Leonis X Bulla, de insigni honore quo prima Ephesina Synodus S. Cœlestinum, Chalcedonensis S. Leonem, Sexta Agathonem, aliæ Synodi alios Pontifices prosequutæ sunt, responsione non indiget. Qua enim ratione ex his confici poterit,

 falsum

falsum esse id quod duo Concilia generalia definierunt, Concilio potestatem esse in Pontificem, ac in eum posse animadvertere, si Concilii Decretis quæ ad fidem constituendam pertinent, aut ad exstirpandum schisma, aut ad reformandam Ecclesiam in capite & in membris, parere obfirmato animo negaverit? Non inferiores honores Concilia Cæsaribus detulere: at quis hinc putet consequi, nullum ex illis potuisse à Concilio excommunicari, ubi causa legitima subfuisset? *Excommunicari*, inquam, non *suis honoribus spoliari*; quæ duæ res multum inter se distant, licèt eas non raro per summam imprudentiam & imperitiam commisceant Romani Theologi. Quorsum etiam Bullæ conditor, prætermissa quinta Synodo, à Quarta ad Sextam properat? An quòd non assentiente imò invito Vigilio Pontifice habita est: Illam tamen, non secus ac quatuor priores, se venerari professi sunt Summi Pontifices, ut patet tum ex Gregorio Magno, tum ex fidei professione ab electis Pontificibus edi solita, quam habet *Liber Diurnus Romanorum Pontificum*, editus ab erudito Jesuita Garnerio. Denique quantumcumque honorificis appellationibus à Sexta Synodo cultus fuerit Agatho, ab eadem tamen judicatus & damnatus est Papa Honorius I, quem semper vocitat *Episco-*

Episcopum Romanum, ex quo intelligitur non existimasse Synodum Pontificem illum ob suam hæresim dignitate Pontificia excidisse.

Hæc sunt quæ mihi Bellarminum evolventi, circa Constantiensis Concilii Decreta occurrerunt. Summa fide ejus dicta relata sunt: de illorum robore æqui lectores censebunt: quos quidem diligenter animadvertere velim, præter Florentinum Concilium, & Lateranense illud sub Leone X, nihil à Bellarmino in medium adferri quod aliquem colorem habeat, si exceperis minutiores quosdam cavillos, quos ille cùm uno loco profert, altero ipse difflat. Horum enim Conciliorum auctoritate nixus audet dicere, Synodum Constantiensem quam admodum numerosam & generalem fatetur fuisse, *reprobatam* qua parte definivit *Concilium esse supra Papam*. Ex illis verò duobus Conciliis quæ ipse pro se profert, alterum mox deserit, nempè Florentinum, cùm ab eo nihil quoad hanc rem *expressè definitum* esse agnoscit: ut nec ipse verba ulla inde proferre ausus sit, sat probè sciens nihil illic definitum esse quod Constantiensis Concilii Decreto adversetur.

Ad solum itaque Lateranense Bellarminus redactus est: atque idcirco visum

est de illo Concilio pluribus dicere, quo palam omnibus fieret quàm nullius sit momenti ejus in hac causa testimonium. Namque, ut paucis colligamus quæ de illo huc usque dicta sunt,

1. Non fuit Concilio sua libertas.

2. Nulla ratione dici potest generale: cùm vix centum interfuerint Episcopi, iique maximam partem Itali.

3. Orbis Catholici spectatissimæ Ecclesiæ illius Concilii neque initia neque decursum probaverunt.

4. Quidquid tamen sit de ipso Concilio, certè quod ex illo profertur, nec Decreti nec definitionis speciem habet: sed mera est Leonis X narratio, id pro indubitato affirmantis pro quo nullum profert argumentum quod insincerum non sit.

5. Denique ipso Bellarmino auctore, non potuerunt Lateranenses abrogare quod ab œcumenicis Conciliis (Constantiensi nimirum & Basileensi) statutum fuisse demonstravimus. Ipse enim laudat hoc axioma verè Catholicum, quod & huic Scriptioni finem imponet: *Legitimorum Conciliorum generalium Decreta in materiis fidei immutabilia sunt, nec possunt ullo modo abrogari ubi semel statuta sunt.*

FINIS.

ERRATA.

Pag. 14. *lin*. 8. *lege*, pleraque quæ

pag. 17. *lin*. 1. *formide*. lege, *formidet*.

pag. 20. *lin*. 13. illum. *lege*, ullum.

pag. 30. *lin*. 4. dirimiſſet. *lege*, diremiſſet.

pag. 38 *lin*. 11. Tranſalpinus. *lege*, Tranſalpinis.

pag. 42. *lin*. 27. *cenſura*. lege, *cenſurâ*.

pag. 45. *lin*. 13. *illuſtriſſimi*. lege, *inluſtriſſimi*.

pag. 48. *lin*. 12. *lege*, Decretum Honorii Decreto.

pag. 55. *lin*. 9. in ſequenti. *lege*, inſequenti.

pag. 66 *lin*. 1 Cathedraticos. *lege*, Cathedraticas.

pag. 79. *lin*. 29. Vix. *lege*, Vox.

pag. 85. *lin*. 19. in ſequentis. *lege*, inſequentis.

pag. 90. *lin*. 27. Davenſportum. *lege*, Davenportum.

pag. 96. *lin*. 3. amor. *lege*, amor crevit.

pag. 108 *lin*. 8. *Ubi*. *lege*, S. Aug. *Ubi* &c.

pag. 112 *lin*. 19. *Fons*. *lege*, S. Proſper *Fons* &c.

pag. 114. *lin*. 2. adde: *neque ex voluntate carnis*.

pag. 122. *lin*. 17. *pro*. lege, *pie*.

pag. 127. *lin*. 1. propoſitionem. *lege*, propoſitiones, tamquam.

K *pag*.

206

ERRATA.

pag. 134. *lin.* 13. triſtiſſimo. *lege*, tritiſſimo.

pag. 145. *lin.* 19. Concilium. *lege*, Concilii.

pag. 147. *lin.* 19. ſtudioſis. *lege*, ſtudioſi.

pag. 148. in tit. *Lib. de Concil.* lege, *Lib. 2. de Concil.*

pag. 157. *lin.* 20. *ratatum.* lege, *ratum.*

pag. 159. *lin.* 16. lege, *communi conſenſu.*

pag. 162. *lin.* 21. ad. *lege*, ab.

pag. 180. *lin.* 2. definitum. *lege*, definitam.

pag. 183. *lin.* 12. lege, *non fuiſſe concilium generale, vel non fuiſſe ab Eccleſia.*

pag. 185. *lin. ult.* indulgenia. *lege*, indulgentia.

pag. 197. *lin.* 14. *invetereſcere.* lege, *inveteraſcere.*

pag. 200. *lin.* 30. Nicæum. *lege*, Nicæam.


BIBLOS
Firenze





